DE

GENETIVI ADIECTIVIS ACCOMODATI IN LINQUA LATINA USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS HAUSTEIN
MERSEBURGENIS.

HALIS SAXONUM.
MDCCCLXXXII.

Pars prior universalis.

In latinae orationis monumentis multa inveniri, quae congruant cum graeca lingua, in omnibus disciplinae grammaticae partibus, non minus in declinandis singulis formis quam in coniungendis inter se vocabulis sententiarumque partibus, iam ab antiquis grammaticis animadversum est. Ac quoniam Romanorum literas e graecarum literarum cognitione et effloruisse et incrementa cepisse Romanorum Graecorumque scriptores non ignorabant, quae harum linguarum essent communia, ea propria esse graecae, mutuata ex ea translataque in latinam, affirmare haud dubitaverunt. [cf. Ovid. fast. IV, 63; Quintil. I 6, 31. — Charisius V p. 282 K. — Dionys. Halic. antiq. rom. I 90. —] Quae opinio cum perspicua videretur primoque obtutu omnibus arrideret, nullo contra dicente in scriptorum romanorum commentariis celerrime propagata est. Hoc pacto hellenismum in infinita genera Linacrum deduxisse quis est qui nesciat? Quid dicam de Rossio illo, qui longissime hac in re progressus in libro „Sprachen die Römer Sanskrit oder Griechisch? Halle 1858" sagacissime demonstrare studebat, latinam linguam nihil aliud esse nisi „entstelltes, nur mit einem anders gestalteten Alphabet geschriebenes Griechisch" (p. XXI) similiterque paulo supra „das Richtige ist, Rom als eine nach griechischen Mustern organisirte Stadt und die lateinische Sprache als eine griechische Pflanze zu erkennen." Etsi isti nimiae graecomaniae nemo vir doctus accessit, tamen permulti exorsi a prosa oratione Ciceronis temporibus vigente utpote norma atque unico optimae latinitatis fonte, quidquid videtur et a communi consuetudine sermonis latini abhorrere et graecae linguae simile esse, a Graecis repetere non dubitant, ceteros scriptores eatenus improbant, quatenus a Ciceroniano sermone declinent, probant, quatenus Ciceronis sint similes; itaque cum ratione non habita originis linguae cancri instar via inversa dicendi usum cum perscrutentur, quis est cui mirum videatur, quod stilo etiam priscorum temporum graecismos vindicant scenicorumque poetarum dictioni sine ulla religione anomalias inculcant, quae re vera potius linguae latinae sunt proprietates. (cf. Ritschelii opusc. II p. 635). Quid? Quod doctissimi viri peritique orientalium aliarumque linguarum eo processerunt, ut, quibus scriptorum romanorum locis illa interpretandi ratio neque sufficere neque satis idonea videretur, ibi in lingua latina ingeniose statuerent hebraismos et

punicismos originemque singulorum verborum et loquendi formularum ex scythica, celtica, slavica, aegyptiaca, phoenicia aliis linguis deducerent; exempli gratia nomino Francogallum Lefebure. (cf. eius notas ad Silii libr. I 25, 235; III 26, 338, 395, 682; IV 534, 786 etc.) [1])

Ante hos demum circiter quinquaginta annos ut multarum grammatices partium meliore fruamur cognitione rectamque viam historiae cum singularum linguarum tum maxime latinae intellegendae ingrediamur, contigit scriptis summi momenti duorum virorum, qui ipsi hac re memoriae suae certe aere perennius monumentum exegerunt. A Francisco Boppio enim ex comparatione linguarum indogermanicarum inter latinam graecamque linguam non eandem rationem intercedere atque inter filiam matremque, sed potius harum utramque iudicandam esse eiusdem stirpis matrisque indoeuropaeae atque palaeoindicas, palaeoslavicas, alias linguas est constitutum. (Mommsen R. G. I, 15; Curtius G. G. I, 16; Overbeck G. Pl. I, 29; Schuchardt Vocalismus etc. p. 28; L. Meyer Vergleichende Grammatik 1861 I, 20; Schleicher mus. Rhenan. 1859). Inde facile sequitur, ut ab initio permulta inveniantur plurimis grammaticae partibus, quae communia sint harum omnium linguarum; itaque si quis in lingua latina structuras aut formas eas, quae cum graecis sanscritisque congruunt, ex graeca lingua repetitas esse affirmaverit, tale iudicium crassa profecto erroris nebula obscuratum esse pro certo habemus. Atque syntacticarum legum comparationem primus in disciplinas philologicas introduxit L. Lange oratione in conventu philologorum 1852 habita „Über Ziel und Methode der syntaktischen Forschung"; diu tamen neglectae syntaxeos comparativae complaria specimina exhibuerunt Delbrueck et Windisch.

Sed non minus debemus Fr. Ritschelio, cum primus studiis Plautinis inscriptionumque antiquissimarum historicae grammaticae viam patefecerit exquirendo quae esset priscae latinitatis oratio. Quantum inde ad historiam linguae latinae rectius intellegendam profici possit multis atque praeclaris docuit exemplis; quod non solum valet de metricae ac prosodiacae, verum etiam de syntacticae rei legibus eruendis. Ipse quidem primus quae prius in priscae latinitatis reliquiis anomaliae vitiosique sermonis documenta videbantur, ea probavit omnibusque fere persuasit neque barbarismos esse iudicandos neque erroris scriptorum neque licentiae poeticae indicia, sed potius proprietatem ac simplicitatem vulgaris quotidianique dicendi generis. (cf. Ritschel. opusc. II p. IX.)

At hic forsitan quispiam dixerit haec antiquissima scriptorum latinorum fragmenta, quibus imprimis quaestio nostra nititur, pro suspiciosis modo testimoniis genuinae linguae latinae esse habenda. Nam postquam Graeci

---

1) Similiter Grotefend et Ramshorn latinae quidem parentem iudicaverunt linguam palæotheodiscam, in qua originem sitam esse omnium linguarum, quæcunque audiuntur in terris, voluminibus tredecim summo acumine diligentiaque elaboratis docuit rector et professor Tieffensee († 1810); vide de hac re Jæckel: Der germanische Ursprung der lateinischen Sprache und des römischen Volkes; Bresl. 1830. — Neue Jahrb. f. Philol. ed. Seebode et Jahn 1831 p. 431 sqq.

consanguineique Romani in diversas regiones digressi per compluria saecula proprietates naturae ac linguae sua uterque populus ratione excoluerunt, iterum anno CCLXXXI a. Chr bello a Romanis cum Tarentinis Pyrrhoque gesto, denuo ex anno CCLXIV cum Carthaginiensibus Siciliaeque incolis, deinde commercio quodam et usu coniuncti suos mores et instituta et linguas inter se cognoscunt [cf. Saalfeld: Italograeca, pars I: Vom ältesten Verkehr zwischen Hellas und Rom etc. Hannov. 1882.]; magis magisque verba gaeca se insinuare coeperunt in latinam linguam,[1]) cuius literarum formas a Graecis cymaeis siciliensibusque receptas esse constat; deinceps perpensitandum est, si nomina illustrium virorum, quorum fama illis literarum monumentis celebrata est, conferamus, illos poetas neque Romae natos neque ex Latio oriundos, sed potius barbaros vel semigraecos fuisse ut Livium Tarentinum, Naevium Campanum, Plautum Acciumque Umbros, Ennium itemque Pacuvium Calabros, Caecilium Insubrem, Terentium Afrum; denique hi, quos nominavi, nihil aliud fecerunt nisi et carmina epica et fabulas et saturas a Graecis compositas in linguam latinam converterunt aut imitati sunt: Livius Andronicus Homeri Odysseam, Ennius opera Epicharmi, Euhemeri, Archestrati, ceteri fabularum scriptores aut comoedias graecas praecipue Menandri, Philemonis, Diphili, Apollodori, aut tragoedias maxime Euripidis, raro Sophoclis et Aeschyli.

Quae cum obiter tantum respicimus, graecismorum ratio nonne valde perspicua videtur? At constat multo facilius voces seu integras seu paulum immutatas admitti singulas ex aliena lingua petitas [Ritschel. opusc. II 519; Kuebler: de infinitivo p. 3], difficilius autem prorsusque aliud esse verborum constructiones usurpare sermonisque patrii leges immutare et conformare ad alieni sermonis consuetudinem. Tamen vel in eos, qui sermoni vernaculo verba aliena et soloecismos inserebant, acerrima cavillatione invectum esse Lucilium quis est qui nesciat? Neque magis quisquam ignorat, magnum temporis spatium elapsum esse, priusquam nomina propria a Plauto, Ennio, Accio, Varrone dicta Tecumessa, Alcumena, Patricoles, Alcumaeo, Catamitus posterioribus formis a Romanis Tecmessa, Alcmena, Patroclus, Alcmaeon, Ganymedes reciperentur. Eodem modo argumenta ac metra fabularum foris mutuati sunt, sed servilem Graecorum imitationem omnino respuerunt omniaque, quae attinent ad dicendi genus syntacticasque leges, e vulgari sermone petiverunt. Porro hoc tenendum est, illa quidem Plauti aetate linguae graecae notitiam planiorem studiumque literarum graecarum subtilius in nobilium tantum domibus ac familiis divulgatum

---

[1]) Görke: Symbola ad vocabula graeca in linguam latinam recepta. Regim. 1858. Saalfeld: de gr. vocab. in l. l. translatis. Lps. 1874; idem: index graec. vocabulorum in l. l. translatorum Lps. 1874; Griechische Lehnwörter im Lateinischen; Ergänzungen und Nachträge zum Index. 1877. — Tuchhändler: de vocab. graec. in l. l. translatis. Berol 1876. — Ruge: Bemerkungen zu den griechischen Lehnwörtern im Latein. 1881. — Weise: Die griechischen Wörter in der latein. Sprache. Lpz. 1882.

fuisse; plebis autem turbam maioremque populi partem non solum huius rei cognitione omnino caruisse, sed potius omnes, qui versarentur graecis in studiis, despicatui habuisse satis superque constat. Neque vero literatis poetae scenici fabulas composuerunt, sed populi otiosas aures mulcere studuerunt. Postremo barbaro illi quidem genere nati Romanum ingenium penitus induerant atque integro sermone latino usi sunt ita ut partim ludi magistrorum vice functi linguam latinam pueros docerent. Suo igitur iure illorum sermone olim musas locuturas fuisse, si latine loqui voluissent, Varro dixit ap. Quintil. inst. X 1, 99 huiusque simile honorificum exstat testimonium apud Ciceronem de orat. III 11, 36 et 40; 12, 44. [1]) Unde dilucide apparet ex his literarum romanarum incunabulis, cum integritatem linguae latinae plenam sibi vindicent, uberrimum fructum percipi posse: sunt enim in his pleraeque verborum structurae quodammodo primariae adeoque perspicuae et dilucidae, ut qualis dicendi origo sit multo evidentius liqueat quam posteriore aetate, qua propria multarum constructionum vis evanuit. [2])

His quas attuli causis qui perfectam et omni ex parte absolutam syntaxin linguae latinae historicam, quam adhuc esse Ritschelius quidem opusc. II 496 „ein Buch mit 7 Siegeln" dicit, conscribere student, hanc viam debent sequi, ut primum constituant, quae lingua latina ut filia ex matre indogermanica tradita acceperit, deinde ut perscrutentur, quemadmodum proprietates sermonis latini ex priscis temporibus paulatim sint excultae. Neque enim de loquendi apud posteriores scriptores obvio usu diiudicare quantumque hi ab antiquiorum scriptorum genere dicendi discesserint, secernere possumus, nisi antea priorum temporum usus accurate perspectus sit. [cf. de hac methodo, quam germanice „historisch-genetisch" nominamus, Ziemer l. l. p. 41, 43.] Eadem ratio mihi symbolam ad linguae latinae historiam collaturo ineunda est, qui hac commentatione genetivum [3]) relationis ex adiectivis aptum tractandum mihi proposui. Sed antequam firmo linguarum indogermanicarum comparationis et priscae latinitatis fundamento nixus ad hoc accedo, illud quaerere operae mihi esse videtur pretium, quibus tam variis rationibus,

---

[1]) Jani ars poetica prolegg. p. 11. — Morhof: de patavinitate Liviana in editione Livii Drakenb. vol. VII cp. 12 p. 67. — Klussmann: Naevii fragmenta p 203 ff. — Lorenz: Plauti Mostellaria prooem. p. 42. — Ritschel. opusc. II 582: „Die von Plautus und seinen Genossen versifizirte Umgangssprache;" paulo infra: „denn versifizirte Umgangssprache u. nicht mehr ist es."

[2]) Ziemer: „Junggrammatische Streifzüge im Gebiete der Syntax." Colberg 1882. p. 35 et 62. — Schuchardt: Vocalismus des Vulgärlateins. p. VIII prooem; et I, 33. — Fraesdorff: de comparativi gradus usu Plautino. Halle 1881 p. 1. —

[3]) Cum saepenumero vel hac aetate discrepantia de vocis genetivi scriptura occurrat, huius loci esse censeo Lachmanni sententiam repetere, quae exstat in commentario ad Lucret. I 1 p. 3: „Genetivus casus per e sine exceptione scribitur in libris saeculi VI et proximorum; haec grammaticis evolvenda commendabimus, qui adhuc genitivo delectantur." Item Ritschelius in opusc. II p. 782 in erotematis philologicis: „Die wissenschaftliche Erkenntnis fordert im Latein genetivus."

quanto iure vel quanta probabilitatis specie hae genetivorum relationis structurae a viris doctissimis explicatae sint.

Has tam diversas interpretandi rationes brevissime comprehendimus quatuor vocibus: graecismo, ellipsi, licentia poetica, analogia, quarum priores tres saepius parum discernuntur interque se non satis iusta causa confunduntur ita ut ellipsis et licentia poetica idem esse dicantur atque graecismus.

Ac prima quidem doctrina, qua genetivos relationis in lingua latina graecismum interpretari solent, pariter ad omnes Romanorum scriptores pertinet atque aetate auctoritateque summa etiam recentissimis temporibus locum haud mediocrem obtinet in libris grammaticis linguae latinae a Kruegero, Zumptio, Madvigio, Kuehnero elaboratis neque minus occurrit in Holtzii, Draegeri, Kuehnastii monographiis syntacticis, ubi de genetivo graeco speciali paragrapho disputari solet. Atque cum linguae graecae notitia priscis temporibus magis magisque cresceret, mirari non possumus, quod iam vetustiores grammatici eas structuras, quas ab optimorum auctorum scribendi genere alienas esse videbant, ex graecae linguae consuetudine sumptas esse sine ulla dubitatione affirmaverunt neque inquisiverunt, quid ingenio naturaeque linguae latinae liceret. Ita Diomedes p. 312 K: „structura, inquit, dives sum huius rei" graeca figura profertur; apud illos enim genetivo casui iungitur." Idem fecerunt, qui scriptores romanos interpretati sunt, quibus omnibus ne Cicerone quidem excepto hellenismos vindicaverunt; ubi enim genetivus ab adiectivo videtur discrepare, praecipiunt isti esse graecismum aut antiptosim. [1]) Similiter ait Vechner I 2, 18: cum enim Latini adiectivis suum proprium casum h. e. ablativum iungere fere soleant aut etiam praepositionem cum suo casu, graecae imitationi tribuo, in quibus usitata illa constructio genetivo permutata est. Postea tamen paulatim turba graecismorum infinita magis magisque restringi coepta est, satisque habuerunt rariores huiusmodi structuras et a communi usu remotas graecismos iudicare, quae apud prosae orationis scriptores aetatis Ciceronianae exstare non solent. Dubitationes de hac tam populari omnibusque fere comprobata doctrina saepius sunt prolatae, ex quo linguarum inter se comparatio viget. Ita Koene in libro qui inscribitur: „Ueber die Sprache der römischen Epiker" Monasterii 1840 p. 15, Heynii adnotationem „more Graecorum" ad Vergilii ecl. 4, 24 „fallax herba veneni" improbans haec ait: „Man lässt auch in der Syntax die lateinische Sprache viel aus Griechenland borgen, was ihr altes, wohlbegründetes Eigentum ist." Uberius eadem de re loquitur Weidner in commentario ad Vergilii Aeneidem lib. I 178 conscripto pag. 119: „Erklärt scheint mir dieser Sprachgebrauch der relativischen Adiectiva

---

[1]) Ritschel. opusc. II p. 636: „Setzt uns nicht ein so springendes Belieben geradezu in die Zeiten zurück, da als massgebendes Prinzip der Sprachbildung nicht die ἀναλογία, sondern die ἀνομαλία galt?

noch nicht zu sein. Denn ich kann darin ebensowenig eine Nachahmung des Griechischen erkennen — wenigstens muss dieser Gebrauch dem lateinischen Ohr nicht allzu fremdartig geklungen haben — noch ist's mir möglich dem Vossius de arte grammat. VII 10 zuzustimmen, wenn er erklärt: adectiva multa et in his etiam verbalia iunguntur genetivo per ellipsin nominis substantivi causa vel gratia vel ratione, idque Graecorum more, quibus genetivus adiectivo additus regitur ab intellecto ἕνεκα vel χάριν. Richtiger wird es sein auszugehen von der Verbindung ähnlicher Verba c. genet. Wir müssen also diese Frage noch als ungelöst erklären." Nuperrime denique Ziemer quid his de pseudograecismis linguae latinae obtrusis sentiat, complexus est his verbis p. 99 c. l. l.: „Was Draeger § 212 unterm genet. graecus zusammenfasst, beruht durchaus nicht alles auf Gräcismen, sondern manches ist durch einfache Analogie zu erklären." [cf. Ziemer: Das psychologische Moment in der Bildung syntaktischer Sprachformen. Colberg 1879]. Sed haec hactenus; licet persuasum habeas in aliis partibus grammaticae dictionem poetarum latinorum aevi Augustei et insequentis aetatis pendere ex lingua graeca [Haupt: Qua arte Alexandrinos expresserint poetae latini. Berol. 1855], hoc quidem mihi facile concedes non sine aliqua causa — id quod illis doctissimorum virorum scrupulis iam satis dilucide apparet — rationem genetivi relativi graeca lingua adhibita intellegendi in dubium vocari. Jure igitur Godofr. Stallbaum in Ruddimanni institutionibus ab ipso editis II p. 115 vehementer optandum esse dicit, ut diligentius disquiratur, quas rationes Latini hoc in genere secuti sint; hoc enim pacto constitui potest, quatenus sit probanda doctrina graecismorum.

Ellipsium autem doctrinam iam vetustiores Romanorum grammatici proposuerunt: hoc modo Q. Asconium Pedianum in commentariis ad Ciceronis orationes conscriptis, Donatum in interpretandis Terentii comoediis, Servium in Vergilii carminibus explicandis passim ellipses notare quidque subaudiendum sit admonere videmus. Recentiores vero grammatici et commentatores veterum scriptorum hac voce similibusque breviloquentiae, aposiopesis nominibus perverse abusi sunt, cum his se difficiles vel dubios locos recte explicare opinarentur. Quorum omnium primum locum tenet ellipsiumque thesauros se aperire prae se fert Sanctius, ille professor in urbe Salamanca, qui in „Minerva seu de causis linguae latinae" primum 1587 edita saepeque typis expressa, hac de re disputat in libro IV a cap. 1 ad 7 pagg. 526—708.[5.] Doctrinam supplendi valde esse necessariam ratus in quavis linguae latinae parte ellipses statuit, quod evidenter cognoscitur ex his ipsius verbis p. 544: „genetivus partitivus regitur ab subintellectis particulis „ex numero;" unde licebit exsibilare grammatistas, qui pueris inculcant, superlativa regere genetivum et comparativa;" item has structuras „lassus viarum, integer vitae, purus sceleris" intellegendas esse supplenda praepositione „causa" vel „gratia;" similiterque ait cap. 12 libr. IV pag. 732: praepositio ἐκ, quae genetivum regit, ita passim desideratur, ut

multi crediderint verba aliqua genetivum regere; quis est tam hebes, qui non videat illa Horatiana (lassus maris etc.) excedere grammaticos latinos canones? Sic illa trita: curarum plenus, securus amorum, vacuus laborum, dives agri, frugum laetus deest ἐκ, id est, de; nullum enim nomen adiectivum aut verbum graece aut latine regit genetivum." Cui Perizonius eatenus assentitur, ut genetivos ex adiectivis aptos per intercedentem ellipsin intellegendos esse dicat, nulla vero praepositione suppressa, sed potius supplendis verbis „in negotio" vel „de causa." Neque aliter Scioppius, Vossius, Ruperti alii in eo consentiunt genetivos hosce non ab adiectivis ipsis, sed aliunde regi seu omissis nominibus vel praepositionibus causa, ratione, nomine, gratia, ergo seu simplicius „in re." [1]) Sed iam Ursinus in libro qui inscribitur „institutiones plenissimae linguae latinae". 1701 pagg. 37, 53 etc. hanc expositionem ellipticam reiecit; neque magis admittere volebat ellipses Johnsonus pag. 14; neque multum ab hac opinione abhorret Ruddimannus concedendo pleraque verbalia in ns, ax, osus, idus, ius et quaedam alia vi sua genetivum directe regere. Ex illis temporibus haec tam mira doctrina ex libris grammaticis linguae latinae commentariisque scriptorum romanorum magis magisque recedere coepit et ut omnino ellipsium ingens thesaurus vel quasi exercitus ad minimam partem reductus est, ita, quod attinet ad relationis genetivum, eas hac aetate iam non agnosci vel statui constat." [2])

Cum doctrina ellipsium ad omnes Romanorum scriptores et solutae et vinctae orationis referretur, alii exstiterunt, qui in poetarum tantum carminibus statuerent licentias quasdam poeticas; ita enim significabant insolitas vel ab optimo loquendi genere abhorrentes structuras, quales saepius occurrunt in poematis latinis. Sane quidem negari non potest poetarum Romanorum, quibus sine dubio eadem fuit licentia dicendi quae poetis conceditur omnino omnibus, orationem metrorum ipsa necessitate aliquatenus vinctam a vulgari solutoque sermone recedere solere, neque verborum modo usus licentiam maiorem esse, sed eius etiam, quae sermoni pedestri convenit, verborum comprehendendorum consuetudinis passim leges migrare; minime vero hoc concedo dictionem carminum omnes grammaticae latinae canones prorsus excessisse atque illam licentiam omni lege destitutam fuisse. Quam ob rem maxime videndum est, quid per naturam sermonis poetis ipsis licuerit. Praeterea hoc quidem constat, hoc simplici nomine minime sanam explicationem ullam exhiberi, deinde hanc significationem nequaquam apte recteque spectare aut ad priscos poetas comicos aut ad eas constructiones, quae poetis communes fuerunt cum rerum gestarum scriptoribus.

---

[1]) Palairet: thesaurus ellipsium latinarum. Londini 1760. — F. C. Grimm: libellus de ellipsibus latinis. Francofurti 1743.

[2]) Ziemer l. l. p. 45; 47 ibid. „Nur der grübelnde Grammatiker empfindet, dass etwas ausgelassen ist."

Quarto loco commemorandi sunt ei, qui hos genetivos relationis vel potius rariores huiusmodi praecipueque apud posteriores scriptores obvias structuras interpretandas esse censent ratione analogiae. [cf. Merguet: Über den Einfluss der Analogie und Differenzierung auf die Gestaltung der Sprachformen. Königsberg 1876] Quae doctrina hac potissimum re commendatur, quia sic ad interpretandas sermonis latini proprietates alius linguae structuras adhibere non cogimur, sed similes usitatissimasque constructiones in eadem lingua latina invenimus atque demonstramus. Quam multum analogica constructionum ratio valeat ad linguae leges conformandas, iam ab antiquis Graecorum et Romanorum grammaticis perspectum est; sed cum prius modo ad formas declinandas multum posse analogiam concessissent, nuper sententiarum quoque analogiam in syntaxi eadem esse vi cognitum pronuntiatumque est. Cuius rei permulta exempla exstant cum in omnibus linguis tum in graeca.[1]) Hac de re monet Curtius stud. VI 262: „Die Macht der Analogie in der Sprache an deutlich erkennbaren Fällen nachzuweisen ist eine wichtige Aufgabe der Forschung.“ Fusius autem, quanto momento sit linguae latinae syntaxi analogica ratio, Ziemer docuit, qui ubique talia quae germanice nominat „syntaktische Formübertragungen vel Analogiebildungen vel Ideenanalogien“, demonstrare sibi proposuit; audiamus quae dicat p. 43: „Es fragt sich nur, nach welchem Muster hat sich die Associationsbildung vollzogen? In syntaktischen Verhältnissen associiren sich ganze Sätze mit dem in sie gelegten Gedankeninhalt gleiche Satzformen wie die verschiedenen Casus unter sich. Alle diese Associationen können ohne Bewusstsein erfolgen; lässt sich durch Zuhilfenahme der Betrachtung der psychischen Vorgänge, die der Neuerung zu Grunde liegen, Klarheit über eine syntaktische Form gewinnen oder die Abweichung verstehen, die Entgleisung richtig begreifen, so reden wir von psychologischer Erklärung.“ Atque quod ad genetivum relationis attinet, iam, quod supra attigimus, Weidner et Ziemer de analogiae vi cogitarunt; aptissimeque quae Ziemer p. 52 profert de insolitis verborum structuris, ea ad adiectiva relativa cum genetivo coniuncta referri possunt: „Was sind die meisten dieser Arten, namentlich wenn sie in einer gewissen Häufigkeit auftreten, weiter als syntaktische Formübertragungen oder Analogiebildungen, ein Werk der Ideenassociation, deren Einfluss in der Bildung von Strukturen auf dem Wege der Analogie nach bekannten oder vermuteten Mustern sich äussert? Durch psychologische Analyse, die den verborgenen Vorgang zu entschleiern sucht, gelangen wir zur rechten Erkenntnis dieser Entgleisungen.“ —

---

[1]) Ziemer p. 121: Die Assimilation. An — oder Ausgleichung ist überhaupt die wichtigste und durchgreifendste Erscheinung auf dem Gebiete aller Sprachen und aller Sprachgeschichte; sie ist der lebendigste und wirksamste Faktor der Sprachenentwickelung;“ cf. ibid. p. 55 sq. — Zehetmayr: „Analogisch — vergleichendes Wörterbuch über das Gesamtgebiet der indogermanischen Sprachen.“ Leipzig 1879. —

Ex his igitur rationibus, de quibus hactenus disputatum est, illae tres, quas priore loco commemoravi, cum multo ante Boppii Ritscheliique aetatem sint propositae, neque ad grammaticam comparativam neque ad priscam latinitatem respiciunt, ob eamque causam ad genetivum relationis interpretandum parum sufficiunt. Itaque nobis inquirendum est, nonne ex ipsius linguae latinae natura atque ingenio analogiae ratione adhibita omnes huius modi relationis genetivi intellegi possint; tum demum, si talia occurrunt, quae expediri nequeant ex analogia syntaxeos grammaticae, sane quidem non modo ius potestatemque habemus sed etiam cogimur confugere ad linguam aliam.

Atque ad id ipsum aggredientibus primo loco nobis investigandum est, quae sit vis primaria vel significatio principalis genetivi relationis. [1]) Adiectiva facile dividuntur in duo genera, quorum alterum continet ea, quae per se ipsa imperfectum aliquid significant atque supplementum poscunt vel saltem poscere solent; itaque cum semper ad nomen aliquod referantur, iure nominantur adiectiva relativa; exempli gratia affero „plenus, cupidus.“ Qua in re saepius adhibenda subtiliore et limatiore quadam cogitandi ratione graeca lingua nostrum latinumque sermonem magnopere superat. Alterum genus ea complectitur, quae absolute vel potius praegnanter usurpata nullis aut casuum aut aliis complementis egent, certe autem talia tolerare possunt, e. g. sanus, aeger, celer. Has relationes universae enuntiationis, quas vel oculis cernimus vel animo aut mente percipimus, vel hunc circulum, intra cuius ambitum quid aut est aut cogitatur (germanice: die Beziehung, Begrenzung, Ergänzung, Richtung, den Bereich), variis modis indicere vel describere potest (germanice per praepositiones: in Ansehung, an, wegen, nach etc.) lingua latina: 1. circuitu plurium verborum, ut: „quod attinet ad“ vel „ratione habita rei;“ 2. praepositionibus suis cum casibus, ut: a, ad, de, in, ob, propter, secundum etc.; 3. infinitivis, ut: largus donare; 4. enuntiatis interrogativis pendentibus; 5. enuntiatis relativis; 6. casibus, rarius dativis et accusativis, plerumque genetivis aut ablativis, qua de causa Krueger hos casus nominavit genetivum et ablativum relationis, sed Ebinger mavult genetivum determinationis, Ferd. Schultz ablativum limitationis. Jam cum scriptores promiscue cum eodem adiectivo plures simul casus alios alio loco coniungant, id quod inde a priscis temporibus usque ad recentissimos scriptores invenitur, genetivumque eis adiciant, quae alias ablativum post se habent, aliis locis cum praepositionibus ponuntur, videamus num in usurpandis his casibus significationis discrimen factum certaque norma statuenda sit. Bachius quidem in libro „die Lehre vom Gebrauch der Casus in der lateinischen Dichtersprache“ p. 39 ait: „Viele dieser Adjectiva c. genet. werden in Prosa und Poesie auch c. ablat.

---

[1]) Ebinger: De casuum obliquorum in lingua latina usu. 1865 Inowraclaw. Progr. p. 10. — Ebinger: De genetivi usu. Regimonti 1862 p. 33.

in Verbindung gesetzt; bei der Anwendung dieser beiden Casus herrscht so viel Willkür, dass sich schwerlich eine sichre Grenze zwischen prosaischer und poetischer Ausdrucksweise ziehen lässt." Linguarum cognatarum consensu patet genetivi et ablativi provincias iam antiquitus disparatas et discretas fuisse, tamen aliquid inest in genetivo, quod eum casum aptum reddat ad ablativi munera recipienda. Quod cognoscitur ex lingua sanscrita, ubi, cum ablativus eundem prae se ferat aspectum atque genetivus, multis locis propter formarum aequabilitatem hodie discerni nequit, uter casus sit intellegendus; itemque in lingua graeca genetivum pro explorato habemus ablativum in potestatem suam redegisse; quare genetivi graeci potestas tantopere crevit, ut ad extremum non solum instrumentum actionis, sed etiam, qua de causa quid fieret, denotaret. Quae cum ita se habeant, neminem fugiet eadem ratione in lingua latina genetivum ablativi munere fungi posse, cum vinculo arcto sint coniuncti: nam in eo consentiunt, quod ad actionem aliquam referuntur et quietum rei statum significant [Mueller: „Vorlesungen über Sprachwissenschaft" I p. 105 sqq.]; itaque revera facile confuderunt Latini haud raro genetivum cum ablativo, cum hic perinde atque ille regens nomen determinet notionemque eius rei, intra quam aliquid cogitatur, aliquo modo compleat. Atque ita genetivum cum adiectivis relativis ut peritiae, copiae, cupidinis, participationis, inopiae, incuriae, inscitiae aliis coniunctum videmus ad id indicandum, intra cuius fines peritiam, copiam etc. cogitamus (vas plenum aquae); eadem ratione genetivus adiectivis adicitur, quae in prosa oratione scriptorum optimorum vix casum secum habent (aeger consilii, sanus mentis, flavus comarum); eodem pacto, rarius vero, in oratione et soluta et vincta adiectivis relativis ablativus accomodatur (vas plenum aqua), saepius adiectivis quae dicuntur absolutis (pernix manibus, aeger pedibus). Adiectiva autem absoluta scriptores optimae latinitatis cum genetivo vel ablativo qualitatis, utpote quae dictio simplicior sit, coniungi maluerunt, cum adiectivum attributive ad genetivum vel ablativum attraherent; itaque pro dictione grammatice recta iamque priscae linguae exemplis comprobata „vir sanus mentis vel mente" invenitur apud Ciceronem eiusque imitatores „vir sanae mentis vel sana mente"; item pro „animal repandum rostri" posteriores scriptores genetivum vel ablativum qualitatis praeferrent; pro Siliana structura „Celtae, genus mutabile mentis" classici scriptores dicerent „mutabilis mentis vel mutabili mente." Ceterum id quoque notandum est, quod ex genuina ac propria horum casuum natura sequitur, genetivum simpliciter speciem vel genus significare, ablativo vero indicari causam et instrumentum nomen adiectivum determinans. Quod discrimen etsi iam apud priscos scriptores saepe ita fluctuat, ut interdum non possis accuratius discernere, utrum relationi simplici an causae plus tribuendum sit, et quamquam determinationis causa adiectivorum relativorum promiscue uterque casus eodem sensu usurpatus est, tamen genetivo artiorem duorum nominum cohaerentiam et consociationem adumbrari existimo, minime

autem vel multo minus ablativo nomini apposito.[1]) Ita optime, ut ait Bötticher in lexico Taciteo p. 213, inopiae latini sermonis occurritur, quae laborat ob deficientem facultatem, quam maxime apud Graecos Germanosque summam atque admirabilem prorsus invenimus in componendis coniungendisque uno vocabulo duabus sententiis, ut sunt e graeco sermone *φιλότεκνος, μισοπόλεμος, ἀναξιρόρμιγξ, λειπόθυμος,* e germanico landesflüchtig, geistesabwesend, geistesarm, wonnetrunken, kriegslustig. Quo usu quantopere orationis brevitati consulatur, re ipsa patet et luculentissime ex Taciti scribendi genere cernitur. Inde sequitur, cum pauca optimis exemplis stabilita sint adiectiva, quibus, ut verbis utar Vossii de constr. c. 10, genetivum iungere in oratione soluta adolescenti incorruptae latinitatis studioso liceat, apud poetas eorumque imitatores numerum adiectivorum relationis multo maiorem esse genetivique usum latioribus finibus circumscriptum: nam illi scriptores adiectiva non raro absolute ponunt sine ulla nec rei nec personae significatione, cum, quibus rebus sensus absolvatur, facile ex ceteris orationis partibus sumatur, poetae autem elegantiae colorisque poetici gratia ad adiectivorum notiones definiendas et circumscribendas complementum addunt tam logicae perspicuitati quam symmetriae venustati atque oratorio vigori servientes. Ita scriptores prosaici saepe habent simpliciter „poculum plenum," poetae autem exquisite addunt „vini" vel „Bacchi" vel „Liberi iocosi;" illi satis habent dicere „herus dives," poetae vero exornandae orationis illustrandaeque studio ducti apponunt genetivum „opum" vel „agri" vel „pecoris;" quod maxime factum est in adhibitis adiectivis excellentiae, virtutis, laudis. Iam vero cum genetivo omnia significarentur, in quibus vis adiectivi posita esset, mirum non est, quod poetae laxiore quadam relatione vel causam,[2]) qua adiectivum determinatur, genetivo exprimunt, et adiectivis, qualemcunque animi affectionem significant, genetivum addunt ad exprimendam rem, qua animus afficitur aut voluntas impellitur aut in qua omnino eius attributi significatio cernitur; ita constructione „attonitus serpentis" minus causa specialis quam universalis determinatio indicatur. Etsi quidem potestas causalis emanat e germana genetivi provincia, id nobis indicio est, poetas genetivum ablativi habere potestatem sibi persuasisse. Neque minus genetivus prope abest a potestate ablativi instrumentalis, quod satis comprobatur adiectivis copiae; itaque suo iure Heilmannus in dissertatione de genetivi graeci maxime Homerici usu [Marburg 1873 p. 40 sqq.] instrumentalem quoque casum in genetivum transisse statuit. Quo factum est, ut homines Latini consuescerent magis magisque genetivo ea tradere munera, quae revera ablativi erant propria; qua re ad extremum

---

[1]) Curtius: explicationes ad grammaticam graecam p. 164. — Bach l. l. p. 38 § 12: Aus der innigen Verbindung beider Begriffe bildet sich ein einziger, welcher als eine Modification des ursprünglichen allgemeinen Adjectivbegriffs angesehen werden muss.

[2]) In lingua graeca satis amplus est genetivi causalis campus, qua de re vide Klinghardt: de genetivi usu Homerico et Hesiodeo. Halae 1879.

tam late patet genetivi ex adiectivis apti ratio, ut etiam cum comparativis genetivus determinationis coniungatur ad eam rem indicandam, intra quam gradationis notio sit cogitanda, cui rei ex usu principum latinitatis scriptorum ablativus casus inservire solet.

Si verum est, quod hactenus de genetivi determinationis vi disputavimus, eum in linguis indogermanicis latissime patere est consentaneum; attamen singulis inter se comparandis circulum huius genetivi limitationis in latina lingua multo restrictiorem fuisse constat quam in graeco sermone; quod facillime intelligitur, cum in graecae linguae genetivum transierint munera genetivi, ablativi, localis, instrumentalis genuini.

Atque quod ad dispositionem adiectivorum genetivo accomodatorum spectat, iam pridem saepiusque viri doctissimi monuerunt, ut in syntactica parte quaestionibus grammaticis accuratius perscrutarentur, qualis esset uniuscuiusque scriptoris dicendi usus, atque inquirerent, quam rationem cuiusque aetatis scriptores in construendis verbis sequerentur. Ita Vossius de constr. c. 10 acriter exclamat: „graviter plerique peccant grammatici, dum non discernunt, quae adiectiva oratores, quae item historici aut poetae gignendi casui adiungant." Similiter ait Sommer in annall. philol. 1831 p. 395: „ferner müsste der Sprachgebrauch nach Zeitaltern und Schriftstellern genau geschieden werden." Itemque Ritschelius hanc rationem enixe defendit a Bergkio (Zeitschrift für Altertumswissenschaft 1850 p. 329) in opusc. II p. 581 et 593; summo igitur iure haec studiorum via hac aetate a permultis inita est neque ad uniuscuiusque scripta interpretanda atque emendanda est parvi momenti. Quam tractandi rationem in disputationis meae altera parte ita sequar, ut secundum temporum ordinem adiectiva relativa persequar; singula vero scriptorum genera si discernere vellemus, necessario nobis singula adiectiva diversis locis repetenda essent, qua re perspicuitas valde diminueretur. Propterea et effugiendae repetitionis gratia et ut omnia facillime dignosci atque uno obtutu perspici possint, singula adiectiva semel modo afferam atque eo loco, ubi primum cum genetivo coniuncta in literarum reliquiis exstant, non solum omnia genetivi structurae exempla proponentur, sed etiam adicietur, quam varie eodem tempore vel prius vel postea ea adiectiva construantur: primo capite enarraturus sum, quae adiectiva apud priscos scriptores ante Ciceronis tempora florentes primum genetivum sibi asciscant; secundo capite, quae adiectiva primum apud aureae aetatis scriptores relative usurpata occurrant; tertio capite, quae adiectiva primum ab argentei. insequentisque aevi scriptoribus ex genetivo apta exhibeantur. Iam vero in singulis capitibus enumeranda adiectiva ita distribuam, ut ex parte comprobans partitionem ab omnibus fere grammaticis observatam primo loco colligam adiectiva, quae significant copiam vel abundantiam subiungamque contraria inopiae et vacuitatis; sequantur ea, quae notitiam, peritiam, scientiam, consuetudinem exprimunt atque contra ignorantiam, imperitiam, dubitationem; tertio recensebo adiectiva studii,

cupiditatis, curae, diligentiae, desiderii, voluntatis et quae in contrariam sententiam usurpantur adiectiva incuriae, fastidii, neglegentiae, abominationis; quarto loco ea adiungentur, quae significant participationem aut privationem; deinceps enarrabo adiectiva nocentiae, culpae, criminis contrarieque innocentiae; sexto loco ea congeram, quae declarant similitudinem et contrarium; ad extremum conferam, quae Holtzius p. 58 nominat adiectiva qualitatis κατ᾽ ἐξοχήν, et animi et corporis, quibus describitur virtus quaedam vel laus, excellentia, confidentia aut his contrarium, quae adiectiva saepe proxime accedunt ad adiectiva notitiae vel copiae. Hic quoque vitandae repetitionis causa ea adiectiva, quae alias aliud significant, ut e. g. argutus = 1, noxius; 2, callidus, semel tantum afferam.

Iam vero adiectivorum genetivum sibi accomodantium, de quibus sermo est, in lingua latina turba est permagna. Atque imprimis hoc statuendum est, idque per se ipsum patet, hunc numerum temporis spatio paulatim crescere; quod saepius monitum est, ut a Weidnero l. l. p. 119; a Jordano l. l. p. 287, qui hoc esse „ein Zeichen der immer mehr um sich greifenden Glättung des ursprünglich scharfen und manigfachen Gepräges der Casus“ dicit. Ipse egomet contuli circiter CCCCXXXV talia adiectiva, quorum LXXIII primum in prisca latinitate inveniuntur, CLXXV primum apud aetatis aureae scriptores occurrunt, CLXXXIX primum aevo argenteo et insequenti exstant. Quaerentibus autem nobis, qua ratione hoc incrementum intellegi possit, observanda sunt tria: ac primum quidem priscae latinitatis monumenta quam pauca memoriae sint tradita, quis est qui ignoret? De quibus antiquitatis exiguis reliquiis Joannes Baptista Pius a. 1500 deplorans exclamat haec: ramenta et proiectitia secamenta, horüm potius auctorum umbras, ne dicam cadavera! Nam si conferimus indicem fabularum in Ribbeckii fragmentis scenicorum poetarum, discimus nihil nisi titulos superesse CL comoediarum palliatarum, LXX togatarum, CX atellanarum, L mimorum! Quota igitur particula fabulis Plauti Terentiique conservatis ad nos integra pervenit? Itaque summo iure affirmamus, si scripta prisca literarumque latinarum monumenta ad unum omnia servata essent, summam et ceterarum qnaestionum grammaticarum et nostrae commentationis multis rebus mutari; quare ob hanc nimis mancam literarum cognitionem nemini mirum esse videbitur, quod compluria adiectiva relativa, cum primum in literis aevi aurei exstent, a me in capite secundo afferuntur, quae sine dubio iam antea eodem pacto usurpata esse persuasum habeo; e. g. condemnatus s. c. I; damnatus s. c. II; similiter alia adiectiva, quae primum cum genetivo consociata in scriptis aetatis aureae occurrunt, iam prioribus temporibus genetivum sibi ascivisse pro certo habeo, quod scriptis illis amissis demonstrari non posse haud mediocriter doleo. Praeterea illud quoque considerari volo, quod cum his tam paucis exiguisque priscarum literarum fragmentis non integriter traditis conferuntur capite secundo permulta amplissimaque literarum monumenta aurei quod fertur saeculi;

tertio vero capite adiectiva allata petita sunt ex scriptis latinis, quorum numerus et amplitudo multo maior est quam illorum amborum. Accedit illa quoque causa, quod, cum genetivo relationis semper venustum vel elegans aliquid significetur [1]) saepissimeque hac re symmetria partium in architectura enuntiati fiat, hic genetivus determinationis latissime patet apud poetas eorumque aemulos i. e. plurimis exemplis aevo aureo argenteoque stabilitur atque illustratur. Postremo ne id quidem neglegendum est, quod aevo argenteo Hadriani Antoninorumque imperatorum aetate scriptores praesertim auctore Frontone maxime lectitant volvuntque opera Plauti, Ennii, Catonis, Gracchi, Lucretii, alios scriptores magna ex parte excerpunt, suis libris scriptis commiscent inter se varias dictiones, imitantur stilum illorum scenicorum poetarum priscorum proprium, nimio studio indagant atque affectant antiquorum scriptorum insperata inopinataque verba, minus volgaribus et usitatis structuris quam remotis et requisitis utuntur. Neque igitur quemquam latere potest, permulta huius genetivi relationis testimonia ab his scriptoribus orationis pedestris exhiberi.

Recte igitur si disputata sunt, quae in commentatione disserui hactenus, egomet affirmare audeo omnia huius structurae exempla ex ingenio linguae latinae originem duxisse neque opus esse eo progredi, ut multifariam graecam linguam adhibeamus ad intellegendas constructiones latinae linguae proprias. Has enim structuras docebimns partim indogermanicas i. e. linguarum indogermanicarum ut sanscritae, graecae, latinae proprias atque communes, partim ex illarum genuinarum analogia profectas esse.

Atque primum quidem si quaerimus, qui genetivi relationis in lingua latina indogermanici significandi sint, id certa dignoscitur ratione praesertim ex comparatione linguae sanscritae imprimis vedicae; vedicorum enim carminum lingua aetate proxime ad illa tempora accedit, quibus Indorum, Graecorum, Latinorum, ceterarum gentium maiores in Asia una habitasse constant. Hac in re libenter confiteor totum pendere me ex copiosa accurataque dissertatione Sieckii: „de genetivi in lingua sanscrita imprimis vedica usu.“ Berol. 1869. Suo iure is quidem p. 4 ait: non solum formarum sanscritarum, verum etiam graecarum, latinarum, aliarum explicationem a vedica lingua optime proficisci virorum doctorum animadversionibus saepissime demonstratum est. In res syntacticas autem hoc multo magis cadere quis est quin intellegat? Speciatim vero de genetivo ex adiectivis apto agit in cap. IV p. 29—32; Pâninim adhibuit grammaticorum indicorum principem, qui inprimis libro II, 3 de casibus LXXIII sûtra vel praecepta docuit, quorum in genetivum cadunt regulae 26. sq. 30. 34. 38.—41. 50.—59. 61.—68. 71.—73. Jamprimo loco nominanda sunt adiectiva peritiae et inscitiae, quae in lingua vedica et sanscrita genetivus se-

[1]) Ita Heinsius in editione Claudiani hunc genetivum relationis saepius nominat elegantem vel venustum graecismum.

quitur: haec vocabula sunt návedas=gnarus, kovida, abhijna, anabhijna=conscius, peritus; kuçala, kalpa, nipuṇa i. e. versutus; addendae sunt voces ucita, atathocita, anucita, quae significant suetus, insuetus rei. Deinceps Pâninis decreto II 3, 72 docet adiectiva, quibus aequalitas exprimitur, sequi posse aut genetivum aut instrumentalem ad indicandum eum, cui quis est aequalis; exempla vedica ponit Siecke: anukârin (imitans, similis), anurûpa (similis, conveniens), prátyardhi (par, aequalis), sadṛ́ça (similis). Porro et genetivum et instrumentalem pendre posse videmus ex vocibus copiae: pûrṇa=plenus, itemque ex compositis abhipûrṇa et sampûrṇa; unde fieri elucet, ut cognátae voces aliarum linguarum graec. πλέως, πλήρης, μεστός, latin. plenus, theodisc. voll, goth. fulls, lit. pìlnas eundem genetivum adhibeant atque etiam instrumentalem = graec. dativ., latin. ablat. Ad extremum adiectiva quaedam, quibus animi affectio vel studium, quo capimur, negligentiaque significatur, cum genetivo poni solent: vedica priyá= „gratiosus beliebt bei“, dayâvant „misericors“, nishkrodha haud exacerbatus, parânmukha odio affectus, ánuvrata obediens, morigerus, anṛṇa liber debito, expers, apekshin rationem habens, studiosus, anapekshin rationem non habens, negligens, incuriosus. Unde clare elucet, in lingua quoque latina structuras adiectivorum peritiae et inscitiae, copiae, studii et negligentiae, aequalitatis eorumque, quae animi affectionem exprimunt, non ex graeca lingua sumptas esse; itaque quod Vechner ait „certe genetivus in hac constructione (plenus rei) hellenismum sapit, contra ablativus idiotismum plane latinum!“ hoc perversum et absurdum dico.

Jam vero venimus ad ea adiectiva relativa, quae apud scriptores priscae literarum latinarum aetatis exstant. Huius loci cum non sit, illa omnia singulariter enumerare, id quod tabula adiecta altera est factum, hoc brevissime commonendum est, Romanos illis temporibus, quod supra multis verbis demonstravi, ex lingua graeca nihil nisi salvis legibus latinitatis syntacticis petivisse; ergo structuram huc spectantium, quae capite primo allaturus sum, adiectivorum minime graecanicam, immo potius linguae latinae propriam esse omnes mecum consentient. (Gellius V 20.) Atque fragmenta scriptorum, qui huc pertinent, ipse excussi; quam ad rem perlegi collectionem Ribbeckii, qui in concinnandis et emendandis frustulis poetarum scenicorum et tragicorum et comicorum egregiam operam collocavit; adhibui praeterea Duentzeri „fragmenta Livii Andronici“, Berol. 1835; Klussmann: Naevii vita, carminum reliquiae, poesis ratio, Jenae 1843; Vahlen: Ennianae poesis reliquiae, Lps. 1854; Plauti vero fabulas abiectis sordibus, quas situ et incuria contraxerant, in pristinum nitorem restituerunt Ritschelius, Fleckeisenus, Goetzius, Loewius, Schoellius, Lorenzius, Brixius; itemque ad Terentii verba recte constituenda plurimum contulerunt Fleckeisenus, Spengelius, Meissner, Klotzius, Dziatzko; Lucilii saturas perlegi

in editione Lachmanni-Vahleni, Berol. 1876; veterum historicorum romanorum reliquias in edione Peteri, Lps. 1870; ceteras reliquias sermonis latini vetustioris praebuerunt mihi Bruns in libro, qui inscribitur: fontes iuris romani antiqui, Tubing. 1871 et Wordsworth: fragments and specimens of early latin, Oxford 1874; neque minus inspexi et Ritschelii priscae latinitatis monumenta epigraphica, Berol. 1862 et Mommseni inscriptiones antiquissimas, Berol. 1863, et Raph. Garrucii syllogen inscriptionum latinarum aevi romanae rei publicae usque ad Jul. Caesarem plenissimam voll. II, Tur. 1875—77.

Postremo mihi dicendum est de adiectivis eis, quae primum aetate aurea et argentea a scriptoribus exhibentur. Atque iterum proloquor illam doctrinam, qua Romani vel scriptores singuli [1]) eorum per abusum contra linguae latinae consuetudinem alienas i. è. vitiosas [2]) constructiones de industria e graeco in latinum mutuati esse consultoque ipsius linguae indoli et ingenio vim intulisse putantur, omni probabilitatis specie caret: haec enim sententia per se absurda est, deinde satis reicitur eo, quod tam saepe hae structurae inveniuntur et apud prosaicos scriptores et apud poetas; praeterea in lingua latina structurae huius modi complures occurrunt, quae in graeca prorsus desunt, quod iam animadvertitur a vetustis Romanorum grammaticis, ut a Charisio V p. 292 K. Illud quidem plane funditusque stolidum ac summae dementiae iudicandum est, quod Vechner graecismi demonstrandi causa in lingua latina structuram Horatianam confert cum dictione Plutarchi, Sallustianam, quin etiam Terentianam cum constructione apud Lucianum obvia, Vergilii stilum cum Oppiani, Lucretii cum Nonni scribendi genere! Quae cum ita sint, cogitari potest duplex interpretatio: una, quae mihi placet ac probatur, tota inde pendet, quod linguam latinam vi analogiae excultam esse pro certo habemus eadem ratione, qua graecae linguae leges paulatim conformatas esse inter omnes constat. Quae explicatio per se ipsa verisimillina mihi videtur, deinde omnibus huius modi structuris sufficit, cum vel ea, quae apud poetas inusitatius dicta esse videntur, facile ad leges latinae orationis revocari possint; postremo autem analogiae ratione adhibita manifesto apparet non subito receptum esse sed ita sese insinuasse in sermonem latinum hoc genus genetivi, ut nulla vi illata poetae consuetudinis vernaculae terminos ceterique scriptores paulatim et scite quidem proferrent genetivique provinciam haud modiocriter proferrent. Idem hoc sibi volunt verba apud Ziemerum l. l. p. 121: „Je länger eine Sprache lebt, desto reicher wird sie an solchen Bildungen durch Assimilation oder Analogie.“ Itemque quae Ritschelius opusc. II pag. 523 de formis utriusque linguae dicit, ea non minus recte mutatis mutandis de syntaxi dici possunt: „Wenn die in Rede stehende Construction

[1]) Schuchardt „Vocalismus“ etc. p. 52: „Menschliche Willkür verändert eine Sprache nie.“

[2]) Sinnius Capito ap. Gell. V 20: soloecismum definit vitium grammaticale, impar et inconveniens compositura partium orationis.

dem lateinischen Stamme von Alters her gleichsam im Blute lag, wenn das Bewusstsein oder doch das Gefühl ihrer Berechtigung zu allen Zeiten, zumal also in einer mit griechischer Bildung getränkten Zeit, durch die Geläufigkeit von Doppelconstructionen, wenn das römische Ohr an einen Wechsel wie plenus c. gen. et ablat. vollkommen gewöhnt war, neben einander kannte und hörte, so möchte ich fragen, ob sich die Römer wohl eher werden eine abnorme als eine in weitreichender Analogie begründete Construktion haben gefallen lassen." Docuimus igitur eas structuras, quae prius anomaliae habitae sunt, immo analogiae iudicia esse, legis documenta servatae, non violatae. — Eis autem, qui nostrae sententiae non astipulantur neque linguam sua ac propria vi, sed alienis linguis mutatam progredi posse arbitrantur, commendanda vel proponenda est altera explicandi ratio, qua hanc genetivi relationis structuram ex analogia una cum imitatione orationis peregrinae ortam esse existimant. — Jam vero pauca mihi addenda sunt de scriptoribus, quos omnes hoc consilio perlegere tanti est operis, ut paulatim tantum res ad finem perduci possit; recteque Vossius iudicat, vastum ei mare ingrediendum esse, qui omnia coacervare vellet, neque assentior Johnsono respondenti tironem quemvis facili labore ac plus medio corpore aquis exstantem pertransire posse. Itaque ut tamquam certo firmoque in hac quaestione fundamento niteremur, satis habui maximam quidem partem scriptorum aetate Ciceronis Augustique confectorum aut ipse pervolvere, ut Caesarem, Lucretium, Cornelium, Catullum, Sallustium, Vergilium, Horatium, Ovidium, aut saltem respicere adhibitis lexicis specialibus ut in Ciceronis orationes Mergueti vocabulorum indicem et indicem Vitruvianum a Nohlio compositum. Minus autem me studii ac temporis consumpsisse confiteor in legendis argentei insequentisque aevi scriptoribus, quorum paucos poetas pervolutavi ut Silii, Statii, Claudiani carmina, aliorum ut Phaedri, Curtii, Quintiliani, Taciti, Justini, Eutropii, Suetonii inspexi lexica elaborata a Koch, Eichert, Bonnell, Boetticher, Crusius, Greef; quam ob rem si quis me non omnia quae ad rem propositam pertineant comprehendisse vituperet, facilem me confido excusationem habiturum esse, cum et sperem ea ex huc pertinentibus literis, quae ut maxime inusitata notanda sint, iam maximam partem excerpta variisque collectionibus congesta esse, et pro certo affirmem me his, quos infra nominaturus sum, libris collectaneis diligenter esse usum omniaque eo allata exempla cum scriptorum ipsorum locis accurate contulisse.

Restat, ut priusquam ad adiectiva ipsa enumeranda aggredior, quibus in scribendo adminiculis praeter supra laudatos libros usus sim, brevi exponam. Huiusmodi enim structurae exempla iam ab antiquis Romanorum grammaticis animadversa congestaque sunt: praecipuas grammaticae quaestiones percurrens magnam antiquorum fragmentorum segetem congerit pretiosasque priscorum temporum reliquias nobis subministrat stolidissimus ille Nonius Marcellus peripateticus Tubursicensis libro qui inscribitur „de compendiosa doctrina per literas;" ibi in libro

IX, qui est de numeris et casibus, tractat genetivum casum positum pro accusativo, pro ablativo, pro dativo, aptum ex adiectivis et verbis, illustratque exemplis ex Plauto, Terentio, Afranio, Turpilio, Lucilio, Pacuvio, Attio, Varrone aliis scriptoribus petitis. Quod opus licet ingenio admodum mediocri sit compositum, tamen, utpote quod sit scriptorum veterum naufragium, ut ait Lipsius, vel antiquitatis totius penum, ex Merceri verbo, haud parvi nobis est atque erit momenti. Similiter Charisius, Diomedes, alii genetivi idiomata congesserunt testimoniisque confirmaverunt, raro vero et velut in transcursu auctorum nomina adscripserunt; ex Vergilio autem, Sallustio, Terentio, Cicerone collecta elocutionum exempla exhibuit nobis Arusianus Messius. Ex recentiorum autem grammaticorum numero hi praecipue commemoratione sunt digni: Linacer „de emendata structura latini sermonis“ Lond. 1514 p. 178; Despauterius „rudimenta grammaticae syntaxis“ Antverp. 1551 p. 236 sqq.; Sanctius „Minerva seu de causis linguae latinae“ II 3, Salmanticae 1587; Vechner „hellenolexias sive parallelismi graecolatini“ Francof. 1610, I, 18 [et qui eius librum instauravit atque auxit Heusinger, Goth. 1733]; J. G. Vossius, de arte grammatica VII §§ 24—33, Amst. 1635; Bangius „observationes philologicae“ II p. 834—848 Havniae 1640; Johnsonus „noctes Nottinghamicae or objections against the syntax of common grammars“ 1718 p. 16—18; Ruddimann, „institutiones grammaticae latinae“ 1725, edit. Stallbaum Lps. 1823, II, 2, 14. Nuperrime eandem materiam tractarunt in grammaticis Draeger [1]) „Historische Syntax der latein. Sprache.“ Lpz. 1874; ed. 2, 1878; vol I § 206; et Kuehner „Ausführliche Grammatik der latein. Sprache“ II, § 85. — De singulorum scriptorum proprio dicendi usu disseruerunt hi: Jani „ars poetica latina Halae“ 1774 p. 111—119; Bach „Die Lehre vom Gebrauch der Casus in der lateinischen Dichtersprache“ Goth. 1848 p. 39—43; Stern „Grundriss für römische Dichter“ Arnsberg 1851 p. 98 sqq.; Holtze „syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium“ Lps. 1860 § 73 b; „fragmentorum scenicorum poetarum romanorum syntaxis post Terentium“ 1882; „syntaxis Lucretianae lineamenta“ 1868; Schaaf: „de genetivi usu Plautino“ Halae 1881; Liebig „de genetivi usu Terentiano“ Oels 1853; Badstuebner „de Sallustii dicendi genere“ Berol. 1863; Kuehnast: „Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax“ 2. Bearb. Berl. 1871; Kleine „de genetivi usu Liviano“ I Cleve 1865; Kreizner „de propria orationis Livianae indole“ Hadam. 1845; Hildebrand „specimen lexici Liviani“ Dortmund 1868; Seelisch „de casuum obliquorum apud Valerium Maximum usu“ Monast. 1872; Draeger „Über Syntax und Stil des Tacitus“ Lpz. 1874; Loch: „de genetivi apud priscos scriptores latinos usu;“ Rastenburg 1880, 4. Kuebler „de infinitivo apud Romanorum

1) De his grammaticis ait Ziemer l. l. p. 21: „Die neusten Forscher auf dem Gebiete der Syntax, Holtze, Kühner, Dräger kommen nicht dazu, den Ursachen der sprachlichen Neubildungen und Entgleisungen konsequent nachzugehen.“

poetas a nominibus apto" Berl. 1861. Omnes has observationes syntacticas accurate contuli et in usum meum converti; praeterquam quod plurimae graecomania laborant, nullam inveni, cuius summa mihi non amplificanda aut corrigenda esset. Ad extremum lubenti animo fateor in disputatione mea contexenda lexica Forcellinii, Klotzii, Georgis magno fuisse usui.

Permulti igitur messores in hoc tam immenso campo, quem ingressi sumus, falcem experti satis amplam farraginem congesserunt, largum tamen nobis horum messis spicilegium lucrumque reliquit; nonnulla enim inveni ab antecedentibus aut omissa aut perperam explicata, in quibus pertractandis ne inanem operam consumpserim vehementer opto et si mea opera proposito consilio satisfecerit gaudebo. His ita explicatis ut eorum quae disputavi summam amplectar, probasse mihi videor rationem genetivi relationis ex adiectivis apti non abhorrere nec recedere a consuetudine naturaque sermonis latini. Quam ob rem hanc disputationem haberi velim pro restitutione quadam exheredatorum in integrum, pro vindicatione proprietatis ac propugnatione dignitatis linguae latinae; nam, ut Ziemeri verbis p. III utar quasi ex animo meo scriptis, „sie sühnt ein Jahrhunderte lang begangnes oder geduldetes Unrecht; viele sogenannte Sprachfehler oder falsche Bildungen, Kinder, die bisher als aus der Art geschlagen und verwildert von der Mutter, der Sprache, durch die Willkür sprachlicher Gesetzgeber verstossen und geächtet waren, trotzdem sie aus demselben Mutterschosse der Sprache entsprossen, wie die bisher als echt und vollbürtig geltenden wohlerzognen, in den Geleisen der Grammatik sich bewegenden Sprachformen werden aus ihrer Verbannung wieder zurückgerufen, in die Arme der Mutter aufgenommen, in ihr unveräusserliches Recht eingesetzt mit dem ihnen gebührenden Anteil am Leben der Gesamtheit."

Haec habui quae in universum praemonerem; iam ad ipsa exempla singillatim exhibenda accedo. —

In fine autem dissertationis huius adiciam duos indices, quorum alter continebit adiectiva relativa ordine literarum disposita additis capite et paragrapho, altero enumerabuntur eadem digesta ordine temporum apposito huius disputationis paginae numero.

Pars altera specialis.

Cap. I.

Adiectiva apud priscos scriptores cum genetivo obvia.

§ I a: Adiectiva copiae.

copis Pacuv. 307: o multimodis varium et dubium et prosperûm copem diem! - Turpil. 61: te quidem omnium pater iam copem causarum facit.

cumulatus [1]) Plaut. Aul. V 1, 16: scelerum cumulatissime. - Caecil. com. 61: qui homo ineptudinis cumulatus cultum oblitu's? - Colum. XII 21: coadicitur ligula cumulata salis cocti.

largus [2]) Plaut. Asin. 533: ne ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras. - Verg. Aen. XI 338: largus opum et lingua melior. - Lucan. VII 225: habenae [alii: habenis vel habena]; IX 606: aquae. - Silius VII 601: comae; VIII 250: rapinae; XV 498: mercandi. - Stat. Theb. III 603: aequi impatiens largusque animae. - Capitol. Pius II 1: largus sui, alieni abstinens [Peter om. sui].

oneratus [3]) Pacuv. 291: postquam est oneratus frugum et floris Liberi.

onustus [4]) Plaut. Aul. 603 et 609: auri; [cf. Studemund in annal.

---

1. cum ablat. Cicer. de or. I 26, 118; II 4, 18; 8, 34; fin. II 19, 63; Att. XII 5, 1; Verr. III 85. - Verg. Aen. IV 436. - Liv. II 23; XXXII, 17. - Ovid. fast. IV 451. - Lucan III 626. - Silius I 418. - Stat. Theb. XII 524. - Tacit. h. III 37; IV 20; 39; Agr. 40. - Auson. prof. VII 15.
2. c. abl. Plaut. Asin. 290; 598. - Silius VII 696. - Plin. n. h. XXV 13, 102. - Tacit. h. II 59; III 58. -
   c. infin. Horat. c. IV 12, 19; cf. Kuebler progr. gymnas. Berol. 1861; Barth: de infinitivi apud scaenicos poetas latinos usu. Berol. 1882.
3. c. abl. Terent. Heaut. 452. - Sall. Jug. 76, 6. - Hor. ep. I 18, 46. - Liv. VI 11; IX 17; XXXII 11; XXXIV 61. - Ovid. am. I 13, 15; a. a. I 215; met. III 109; VIII 781; X 101; XI 180; trist. II 143. - Senec. Octav. 5. - Quintil. IV 2, 27; 5, 26. - Plin. ep. IX 18. - Stat. silv. II 2, 2.
4. c. abl. Plaut. Aul. 403; 802; Bacch. 1069; Epid. III 2, 39; Pseud. 206; Rud. 909; Stich. 276. - Afran. 16. - Sisenn. hist. 3 p. 283, 40. - Cicer. Verr. I 46; IV 23; V 44; off. III 12; Att. III 16; divin. I 29, 60. - Caes. b. c. III 23; b. Afr. 65. - Nep. Alc. 5, 7. - Sall. Jug. 87, 1. - Verg. Aen. I 289. - Hor. epd. 8, 14; sat. II 2. 77. - Phaedr. IV 11, 3; VII 16, 7. - Curt. V 6, 6; 12, 17; VI 11, 3; VII 1, 23; IX 2, 10. - Tacit. ann. I 21; 63; II 15; 41; XII 13; 28. - Justin. XXIV 6, 1; XXV 1, 6. - Claud. IV cons. Honor. 653.

phil. 1876 p. 75.] - Caes. b. Afr. 63: triremen hostium proximam onustam remigum epibatarumque cepit. - Tacit. ann. XV 12: magna vis camelorum onusta frumenti.

oppletus[5]) Plaut. Truc. II 6, 42: multo ecastor magis oppletis opu'st tritici granariis.

plenus[6]) Plaut. Aul. acr. 1; IV 2, 15; 8, 9; V 1, 13; Amph. 777; Bacch. 153; Curc. 318; Epid. 152; Men. 581; Merc. 574; item cum Acidalio 881; Mil. 22; 90; 423; 512; 513; 783; 1034; Most. 204; 379; Pers. 392; 507; Poen. I 2, 44; 101; V 5, 34; Pseud. 380; Rud. 319; 548; 651; Trin. 751. - Ennius ann. 342. - Caecil. com. 7. - Terent. Adel. 412; 846; Eun. 105; 318; Hec. 823; 848. - Titin. 149. - Titius p. 351 Wordsw. - C. Gracch. p 354. W. - Lucil. sat. VII 243; XII 371; XXX 881. - Afran. 411. - Varro ap. Non. IX, 6. - Cicer. Flacc. 15; 57; 78; 87; Verr. I 53; 55; II 35; 110; III 31; 209; IV 118; V 27; 63; 94; 143; 152; 157; har. resp. 55; prov. cons. 19; Muren 19; 24; 26; 42; 49; Sest. 87; 100; 128; 130; Balb. 6; Piso 33; 97; Planc. 21; 45; Mil. 64; Ligar. 5; Phil. I 8; II 9; 16; 39; 44; 67; VII 25; VIII 10; Cael. 51; 63; 80; leg. agr. II 8; 68; Sext. Rosc. 28; Q. Rosc. 1; Sull. 28; 90; Font. 1; 30; Arch. 5; 14; Cluent. 12; imp. Pomp. 33; dom. 87; 130; sen. 13; Fr. B. VIII 15; XVI III 5; fin. I 66; Tusc. V 67; Brut. 104; r. p. VI 11; nat. deor. I 54; II 132; de or. I 37; Attic. VII 4, 1; legg. I 22. - Caes. b. g. VII 76; VIII 8; 9; 16; b. c. II 5; 37; 41; III 32; 69. - Lucret. III 936; 958; IV 616; 1155; VI 130. - Nep. Paus. 1; Alc. 1. - Catull. 13, 8; 36, 19; 44, 12. - Sall. Jug. 38, 10; 46, 5; 113, 2; or. Cott. 7. - Verg. ecl. 3, 60; Aen. I 460. - Hor. c. II 1, 6; 19, 6; III 8, 3; 25, 2; IV 14, 2 [cf. Kochii lexic. Horat.]; A. P. 106; 427; 476. - Livius II 38; 43; 45; III 25; 29; 43; 48; 60; 68; 69; IV 10; 32; V 11; 45; 52; VI 5; 12; 17; 18; 38; VII 7; 10; 30; 31; 40; VIII 30; 36; IX 16; 22; 30; X 29; 40; XXI 44; XXII 41; 50; XXIII 12; XXIV 41; XXV 33; XXVI 21; 46; XXVIII 14; XXIX 6; XXXII 7;

---

5. c. abl. Plaut. Aul. I 3, 6; IV 6, 9. - Ennius trag. 343. - Aquil. Boeot. 8. - Cicer. sen. 4, 10. - Santr. trag. 1. - Lucret. VI 747.

6. c. abl. Cicer. Verr. IV 126; Sest. 23; de or. I 132; Att. III 14. - Caes. b. c. I 74; b. H. 5. - Lucret. VI 269; 537; 1183. - Verg. Geor. II 4; IV 181; Aen. V 311; IX 456. - Liv. I 25; V 21; VII 28; XXVI 7; 42; XXXVIII 15; 58; XLI, 28; XLV 27. - Propert. II 10, 30; IV 10, 6. - Ovid. am. II 6, 13 et 29; 14, 23; met. VI 509; VIII 273; 358; IX 195; XIII 198; XV 176; trag. Med. 2. - Grat. cyn. 246. - Phaedr. I 28, 8; IV 5, 25; VI 15, 13; VII 8, 4; 18, 9. - Curt. IV 14, 25 spe (ita Eichert et Fossius; spiritûs Vogel). - Valer. Fl. I 230; 233; 376; 646; II 110; 441; 507. - Colum. VI 24, 4. - Lucan. III 627; IX 564. - Silius III 673; XV 129. - Plin. paneg. 49, 6; epist. I 10, 2; II 1, 7. - Quintil. I 8, 19; II 8, 3; IX 2, 19; 3, 1; 16; 4, 136. - Stat. silv. II 2, 129; Theb. II 126; 425; 682; 684; III 88; IV 508; 812; VIII 403; IX 131; X 624. - Juven. 5, 66. - Tacit. h. I 2; 6; II 22. - Justin XIV 4, 15 (alii „irae"). - Augustin. conf. VI 2.

XXXV 2; XXXVIII 21; XXXIX 27; XL 14; XLI 16; XLV 10. - Ovid. her. I 12; met. II 113; 484; 763; IV 111; V 184; IX 238; 694; X 29; 469; XI 734; XIV 10; XV 103. - Vitruv I 2,2; VIII 1,5. - Valer. Max. I 8 ext. 2; II 2, 4; III 7, 1 et 9; 7 ext. 1; V 6 ext. 5; VI 9 ext. 5; VII 2 ext. 11; 5, 4; 6 ext. 5; 8, 9; VIII 7 ext. 2 et 9; IX 3, 1. - Lucan. III 9. - Curtius III 6, 12; 13, 11; V 1, 7; IX 2, 25; 4, 25; 5, 12; X 1, 12; 7, 4. - Colum. IV 10, 1. - Valer. Fl. I 235. - Plin. n. h. VI 19, 22. - Silius V 80; XVI 511. - Quintil. IX 2, 10; 4, 108; X 1, 44; 96; XI 1, 34. - Juven. I 32. - Tacit. ann. III 50; VI 24; XV 60. - Justin. IX 8, 10; XI 8, 3. - Suet. Caes. 26; Tib 68 et 69; Cl. 16; Cal. 49; Vit. 16; Domit. 18. - Gell. praef. 19; XIV 2, 10; XX 1, 13. - Auson. ephem. orat. 29. - Claudian. Ruf. I 100; b. Gild. 25; fescen. XII 23; cons. Mall. 246. - Ammian. XXII 8, 32.

prodigus[7]) Plaut. Most. 875: peculi sui. - Inc. inc. trag 38: prodigus vitae furor. - Horat c. I 12, 38: animae magnae; 18, 16: arcani; ep. I 7, 42: multae herbae; A. P. 164: aeris. - Ovid. am. III 9, 64: sanguinis atque animae prodige Galle tuae. - Vellei. II 48, 3: suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus. - Silius I 225: animae; VI 144: quorum. - Stat. Theb. III 69: vitae; VI 767: nocendi; VIII 406: vitae. - Gell. XI 5, 4: iudicii sui. - Nazar. paneg. ad Constant. 23 extr.: sui. - Prudent. peristeph. II 17: proprii cruoris. - Claud. laud. Stil. II 461: urnae madidae; cons. Mall. 226: nocendi; in Rufin. II 183: lucis; in Eutrop. II 87: alieni auri; b. Get. 608: neglecti lucri; IV cons. Hon. 500: auri.

satur[8]) Ter. Adel. 765: intus sum omnium rerum satur. - Lucret. III 958: quam satur ac plenus discedere rerum. - Horat. ep. I 7, 35: nec somnum plebis laudo satur altilium. - Colum. VII 4, 3: quo saturior lactis agnus celeriter confirmetur.

uber[9]) Accius tr. 49: Locrorum late viridia et frugum ubera. - Horat. c. II 19, 10: vini fontem, lactis et uberes cantare rivos. - Albinov. I 225: uberibusque oculis lacrimarum flamina misit. - Silius IV 544: arat cui divitis uber campi Fulginia. - Justin XLIV 3, 4: regio cum aeris ac plumbi uberrima tum et minio.

§ I b: Adiectiva inopiae.

absolutus[1]) lex Icilia repet. § 55 (p. 184 Wordsw.): is ex hace lege eius rei apsolutus esto. - Cicer. Cluent. 116: maiestatis; Verr. I 72: improbitatis. - Nep. Milt. 7, 6: causa cognita capitis absolutus pe-

---

7. cf. Cicer. ep. ad Brut. I 15; Catil. IV 10. - Plin. n. h. IX 17, 31 - Stat. silv. II 1, 157.
8. cf. Plaut. Poen. pr. 8; III 6, 9. - Ovid. met. II 120. - Senec. Thyest. 956. - Pers. 6, 71.
9. cf. Cic. Piso 40. - Ovid. met. IV 89; trist. IV 10, 3. - Curt. VI 4, 21. - Sil. III 261. - Plin. paneg. 43.
1. cf. Cicer. Cael. 78; Cluent. 120. - Pallad. r. r. I 3; IV 12.

cunia multatus est. - Plin. n. h. XIV 89: eumque caedis a Romulo absolutum. - Tacit. ann. III 38: Caesar Antistium Veterem absolutum adulterii retraxit; XIII 30: absolutus Cestius Proculus repetundarum.

exilis[2]) Plaut. Stich. 526: omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum.

exspes[3]) Accius tr. 376: ille orbus exspes liberûm. - Tacit. ann. VI 24: mox ubi exspes vitae fuit.

inanis[4]) Plaut. Stich. 526: aegritudinum. - Cicer. de or. I 37: verborum; Mur. 6: 2 prudentiae. - Hor. c. III 11, 26: lymphae. - Ovid. her. III 60: sanguinis atque animi. - Senec. ep. 22, 13: omnium bonorum. - Pers. II 61: coelestium. - Silius II 309: deorum. - Stat. Theb. I 476: mentis.

indiges Pacuv. tr. 329: quem aetate exacta indigem liberûm lacerasti.

indigus[5]) Plaut. Pseud. arg. II 2: nummorum. - Lucret. I 48 et II 650: nostri. - Verg. Geor. II 428: opis nostrae. - Plin. n. h. IV 24: ullius praeconii; VIII 61: stipendiorum. - Lucan. IX 254: servitii. - Sil. I 615: opum; II 155: ensis. - Stat. silv. V 3, 252: aevi. - Tacit. h. III 22: rectoris; 48: externae opis; V 2: agrorum. - Pallad. Nov. 11: plantarum. - Claud. cons. Mall. 4: laudis. - Capell. I 9: veri [alii: indaga.] - Prudent. od. 9: sanctitatis.

inopiosus Plaut. Poen. I 1, 2: res tibi mandavi inopiosas consili.

liber[6]) Plaut. Amph. 105: harum rerum et multarum. - Verg. Aen. X 154: fati. - Hor. A. P. 212: laborum. — Ovid. her. I 80: revertendi. - Senec. Hippol. 492: spei metusque. - Valer. Max. VI 2, 3: libertatis [ita Heusinger et Draeger; sed Halmius „libertati."] - Silius II 441: campi; V 212: metuendi. - Stat. silv. IV 2, 24: campi. - Lucan. IV 384: curarum; VI 298: regum; VII 819: fortunae. - Plin. paneg. 36: discriminis. - Apul. flor. II 229: omnium. — Prudent. cathem. I 47: soporis. - Claud. cons. Mall. 211: animi; Stil. I 151: freni [ex Heinsii coniectura pro „frenis."] - Sulpic. Sever. hist. sacr. I 4.

---

2. cf. Lucan. III 203.
3. cf. Horat. a. p. 20. - Ovid. met. XIV 217.
4. cf. Cicer. Att. II 8, 1. - Sall. hist. III 30 D. - Valer. Fl. II 290. - Prudent. peristeph. II 604.
5. cf. Lucret. V 223. - Apul. met. 9.
6. cf. Accius tr. 327. - Cicer. Verr. IV 23; leg. agr. I 27; acad. I 123; off. I 67; Att. I 13, 2; 15, 16; fin. I 49; V 87. - Cæs. b. G. VII 56. - Nep. Milt. 3, 4. - Sall. Cat. 4, 2; hist. III 61, 15. - Verg. G. III 194; Aen. VII 369. - Hor. ep. I 7, 36. - Ovid. am. II 9, 20; pont. I 6, 32; trist. V 13, 4. - Liv. II 36; VII 34. - Vellei. II 14, 3. - Valer. Max. II 6, 6; IV 1, 1; 8, 5; V 3, 3; VI 2, 3; VII 3 ext. 7. - Valer. Fl. III 470. - Stat. silv. III 1, 23; Theb. V 81; VI 318; 506; 611. - Lucan. III 522 - Quintil. V 11, 37; X 3, 22; XI 2, 35; XII 1, 4; 11, 7. - Claudian. IV cons. Honor. 176; fescen. 14, 32; Stilich. II 190.

orbus[7]) Plaut. Rud. 349: auxilique opumque. - Lucret V 837: pedum. - Ovid. met. III 518: huius luminis; XIII 595: Memnonis mei; XIV 189: luminis. - Manil. IV 840: sui fratris. - Silius XIII 725: visûs. - Stat. Theb. IX 673: Hippomedontis adempti. - Paullin. IX. natal. V 489: crucis solitae.

vacuus[8]) Plaut. Bacch. 154: virium; Pseud 469: aurium. - Terent. Heaut. 90: laboris. - Senat. consult. de Asclep. 12: uti ii liberi posterique eorum in suis patriis vacui omnium numerum sint. - Sall. Jug. 90, 1: frugum. - Hor. sat. II 2, 119: operum. - Ovid. a. a. I 642: caedis; met. VI 541: criminis. - Senec. brev. vit. V 1: dignitatis. - Stat. Theb. V 644: animi. - Silius X 155: irae; XIV 446: taedae. - Tacit. a. XV 8, 3: rerum; h. II 71: honoris [ita coniungit Goebel „de poetico Taciteí stili colore" Berol. 1869 p. 25]. Apul. flor. III 234: animae. - Eumen. commodorum. - Mamert. grat. act. ad Jul. 14: annonae. - Claud. Eutr. II 423: rectoris.

§ II a: Adiectiva peritiae.

certus[1]) lex Acil. repet. 44: quo quis suae alterius sententiae certior

7. cf. Plaut. Capt. 818. — Ennius trag. 114. - Terent. Adel. 650. - Afran. com. 240. - Cicer. Flacc. 54; fam. IV 13. - Lucret. II 838. - Verg. Aen. XI 216; Cul. 252; Cir. 360. - Hor. c. IV 2, 44. - Liv. I 26; 54. - Ovid. am. II 2, 42; her. III 93; VI 156; XXI 142; trist. I 7, 35; III 2, 11; pont. I 2, 44; 3, 54; III 2, 52; IV 2, 5; met. I 72; 247; XIII 41; 195. - Phaedr. III 10, 45. - Vellei. I 5, 3. - Plin. h. n. VII 45; VIII 139; XI 150. — Colum. VII 4, 3. - Silius I 73; IV 537. - Stat. Theb. I 74; IV 177; X 7. - Justin. XXVI 1, 8. - Claud. Eutr. II 423 [Heinsius de genetivo cogitat.]

8. cf. Plaut. Cas. 29; III 4, 6; Merc. 983; Trin 11. - Accius tr. 262. - Terent. culpâ. - Pacuv. 280. - Cicer. fin. II 30; 46; IV 12; V 1; fam. IV 4, 2; 14, 3; XI 16, 1; Att. X 16, 2; divin. II 27; Tusc. III 9; offic. I 13; Marcell. 17; Tim. 4; Verr. I 34; IV 3; inv. II 24; har. resp. 11; Brut. 309. - Caes. b. G. II 12; VII 25; VIII 46; b. c. I 31; III 3. - Sall Cat. 14, 4; 51, 1; Jug. 52, 6; hist. I 101; III 54. - Verg. Aen IV 588; Cul. 373. - Hor. c. IV 15, 8; s II 3, 10. - Liv. V 41; XXIII 36; XXIV 18; XXXVI 23; 26; XXXVII 13; XXXVIII 15; XLII 63. - Ovid. am. I 2, 3; met. II 165; III 582; IV 148; VII 653; X 117; 437; fast II 103; IV 581; trist. V 3, 9. - Cels. VII 5, 2. - Colum. III 2, 21; 10, 5; 11, 3. - Valer Max. II 4, 6; 9, 1; III 2, 16 et 24; IV 1, 1; 3, 6; 4, 11; VI 3, 1; VII 2, 6; 7 ext 3; VIII 9, 2; 11, 2; IX 1 ext 5. - Lucan. III 642. - Stat. silv. IV 7, 30; Theb. I 593; II 76; VII 604; X 106; Ach. II 410. - Curt. VII 8, 23; VIII 13, 27. - Quintil XII 9, 8. - Plin. paneg. 56, 2. - Tacit. h. I 88; a. VI 16; XII 2; 34; 61; XVI 13. - Justin. II 12, 11. - Claud. Eutr. II 178; 512.

1. cf. Plaut. Pseud. 16; 1097; Curc. V 2, 32. - Terent. Phorm 674. - Cicer. Catil. II 26. - Caes. b. g. I 7; II 2; III 9; 19; IV 4; V 37; b. c. II 3. - Sall. Jug. 46, 1; 104, 1. - Verg. Aen. IV 564. - Liv. X 35. - Ovid met. IX 43; X 394; 428. - Albinov. I 291. - Lucan III 556. - Valer. Fl. I 191; 366; 436; II 57; 457; IV 47; VIII 316. - Stat. Theb III 378. - Silius I 268; IV 448; XII 624; XV 490. - Tacit. a. IV 57. - Suet. Vesp. 25; Tib. 12; 14. - Justin. II 3, 9. - Claudian. fescen. 2.

siet. - Cicer. Att. IX 2 A 2: sui consilii. - Verg. Aen. IV 554: eundi. - Liv. XXIV 38, 4: periculi. - Ovid. met. VI 268: subitae ruinae; XI 415: consilii sui; 440: eundi; XIII 722: futurorum. - Senec. ep. 45: iudicii. - Curt. IX 10, 17: necessitatis tuae. - Lucan. VIII 120: loci. - Silius IV 197 et VI 27 et VIII 53: necis. - Stat. silv. V 3, 80: fati; Theb. V 545: malorum; VII 699: necis; X 670: tui. - Quintil. IV 3, 8: sententiae. - Plin. ep. VI 16, 12: fugae. - Tacit. a. I 27: exitii; IV 34: vitae relinquendae; XII 3: sui matrimonii; 32: destinationis; 66: sceleris; XIV 36: eventûs; h. I 70: sententiae; II 46: consilii; III 43: futuri; IV 3: spei; 14: desciscendi. - Suet. Tib. 61: damnationis. - Justin. II 13, 7: consilii. - Tertull. de poenit. 6: indubitatae veniae. - Auson. parent. XII 11: cruenti fati. - Claud. Ruf. II 346: imperii; cons. Mall. 114: telluris.

coctus Plaut. Poen. III 2, 9: hodie iuris coctiores non sunt. [Turneb. advers XV 7].

commodus Ennius ann. 251: scitûs, secunda loquens, commodus verbûm paucûm.

conscius [2]) Plaut. Rud. 1247: malefici [Ritschel. opusc. II p. 720; Langen: Beitr. z. Kritik u. Erkl. des Plautus. Lpz. 1880 p. 121]. - Terent. Phorm. 156: facinoris. - Cicer. Verr. III 76: libidinis; IV 139 et V 160: flagitiorum; Cluent. 59: maleficii; Deiot. 21: sceleris; Sest. 18: stuprorum; 99: peccatorum; Cael. 68: rerum; fam. V 5, 1: studiorum; off. III 73: culpae; Tusc. II 52: tyrannidis. - Caes. b. G. I 14: iniuriae; b. c. III 108: sui; b. Al. 55: caedis. - Nep. Dion. 9: facinoris. - Sall. Cat. 22, 2: facinoris; 25, 4: caedis; 34, 2: sceleris; 37, 1: coniurationis. - Verg. Aen. I 604: recti; II 141: veri; IV 519: fati; 608: curarum; VIII 393: formae; XI 812: facti. - Horat. sat. II 7, 60: peccati. - Liv. IX 26, 14: vitae; XLIV 10, 4: imperii. - Tib. I 9, 3: deorum. - Prop. I 15, 38: nequitiae. - Ovid. am. II 1, 7: flammae; 2, 27: commissi; 7, 11: peccati; her. XVII 265: mentis; fast. IV 311: recti; met. II 593: culpae; VIII 530 et IX 707: facti; X 367: sceleris; XIII 15: quorum. - Senec. Herc. Oet. 1207: laudis. - Valer. Max. III 3 ext. 5: tyrannicidii; VII 4, 5: consilii; IX 9, 3: dicti. - Curt. VI 10, 20: sceleris; VII 1, 21: sermonis; VIII 3, 9: facinoris. - Stat. silv. I 2, 59: culpae; II 3, 36: pellis; 5, 19: vulneris; III 5, 35: laboris; Theb. I 257: tori; 402: sanguinis; 466: facti; III 330: factorum; IV 646: laudis; VIII 206: fati; 550: pensi; IX 875: vulneris; XII 548: noxae; 630: Orythiae; 684: mandantis; Ach. I 562: culpae. -

2. cf. Plaut. Aul. 38; Cist. II 3, 46; Rud. 926; Truc. I 1, 40. - Terent. Adel. 348; Eun. 199; Heaut. 121; Hec. 392. - Cicer. Verr. IV 124; Coel. 52; Cluent. 56; Att. I 18; II 24. - Lucret. III 1016; VI 393. - Sall. Cat. 14, 3. - Verg. Aen. IV 167. - Hor. sat. I 2, 130; c. III 6, 29. - Tib. I 7, 48; 9, 41. - Ovid. her. XV 138; met. VI 588; VII 194. - Lucan. I 20. - Quintil. declam. 17. - Sil III 393; 399; V 23. - Valer. Fl. I 211. - Claud. III cons. Honor. 108.

4

Quintil. III 6, 64: iudicii; IV 2, 93: cuius; X 1, 126: generis; 3, 19: infirmitatis. - Silius IV 135 et VIII 531: fatorum; IX 180: sceleris. - Valer. Fl. I 5: vatis; 526: luctûs; II 280: ausi; III 262: facti; VIII 401: pacti. - Mart. IV 25, 2: rogi. - Tacit. ann. I 43: flagitiorum; III 30: interficiendi; XIII 18: sceleris; XIV 32: rebellionis; h. I 13: libidinum; 42: sceleris: II 37: scelerum; 90: flagitiorum. - Suet. Claud. 38: iracundiae; Ner. 3; 33; Tit. 9: necis; Tib. 14: secretorum; Cal. 24: insidiarum. - Justin. I 9, 19: coniurationis XI 2, 1: caedis; XV 3, 3: insidiarum. - Prudent. encheir. II 14, 1;: facti. - Claud. Phoen. 40: aevi; Eutr. II 503: factorum; rapt. Pros. II 7: fati; Seren. 95: arcani; idyll. I 40: aevi. - Auson. parent. V 17: fati.

gnarus [3]) Plaut. Asin. 551: tergi; Rud. 210: loci. - Cicer. Brut. 228: rei publicae. - Sall. hist. I 70 D.: numeri; III 69 D. loci. - Liv. X 20, 7: Oscae linguae. - Colum. praef. I 4: armorum; IV 25, 1: utendi. - Plin. n. h. IX 9: temporis. - Sil. IV 532: belli; VII 422: rerum; VIII 68: coeli. - Stat. sil. II 6, 68: dolorum; Theb. II 92: fati. - Tacit. a. XV 25: militum atque hostium; h. IV 29: periculorum; Agr. 6: temporum. - Claud. Eutr. II 330: loquendi.

memor [4]) Plaut. Merc. 996: benefici; Pseud. 481: promissi; Stich. 578: consili. - Terent. Andr. 281: sui. - Cicer. leg. agr. II 21: beneficii; Piso 62: materni generis; Phil. III 8: nominis; Catil. IV 19: vestri. - Caes. b. c. I 13: facti; II 6: praeceptorum; b. Afr. 54: licentiae. - Nep. Hann. 12: virtutum; Att. 10: officii. - Sall. Cat. 16, 4: rapinarum; 37, 6: victoriae; 58, 12 et 60, 3: virtutis; 60, 7: dignitatis; Jug. 38, 9: rerum; 49, 2 et 97, 5: virtutis; 58, 3: nominis; 104, 5: beneficii; hist. III 61, 14 D.: libertatis. - Verg. Geor. IV 156: hiemis; Aen. I 23: belli; 543: fandi; 719: matris; IV 336: mei; 403: hiemis; 539: facti; VI 664: sui; VIII 464: sermonum; IX 479: pericli; X 280: coniugis; XI 801: teli; XII 535: domini; Cul. 237: irae; 398: curae; 406: regis. - Horat. c. I 33, 1: Glycerae; 36, 7: pueritiae; III 11, 51: nostri; 14, 18: duelli; 27, 14. - Livius I 28: legum; 32: Romuli; II 47: praedae; III 36: libertatis; 69: maiestatis; VI 27; VII 7: decoris; 31: amicitiae; VIII 10: consulis; XXVI 8: Capuae; XXX 15: regum; XXXI 46: promissorum; XXXIII 12: moris. - Tibull. III 2, 25: nostri. - Ovid. met. II 378: ignis; IV 190: indicii; 642: sortis; VIII 259: casûs; IX 621: ausorum; XI 380: admissi; XIII 58: furoris; 380: mei; 453: sui; XIV 730. - Phaedr. VII 15, 7: cervicis. - Colum. XI 1, 6: ignorantiae. - Vellei II 40, 5: iniuriae. - Valer. Max. I 7 ext. 3: beneficii; II 7 ext. 2: blanditiarum; IV 7,

---

3. cf. Plaut. Most. 100 (Turneb. advers. XIX 12); Poen. prol. 47. - Arnob. III 103.
4. cf. Titul. metric. Lambaesitan. I. 10: memor hoc munere nostro natis, sospite matre; Ritschelius opusc. IV p. 311 hanc inscriptionem Antoninorum saeculo assignandam censet. - Stat. silv. II 4, 17.

3: amicitae; V 2, 1 et ext. 3: beneficii; IX 3, 1: damnationis. - Senec. Herc. fur. 298: mei; ep. 66: praeteriti. - Lucan. VIII 284: generis. - Curt. IV 4, 15: cognationis; 6, 14: periculi; VIII 1, 51: irae; 11, 15: promissi; IX 2, 7: fortunae. - Valer. Fl. I 46: divum; II 422: terrae; III 649; rectorum; IV 36: amoris; V 529: sortis. - Stat. sil. II 7, 52: gentis; IV 5, 58: nostri; Theb. I 596: thalami; 716: hospitii; VII 538: irae; IX 148: regis; 707: natorum; X 345: voti; XI 318: decoris; XII 127: mariti. - Tacit. h. III 18: laboris ac volnerum; a. XIII 21: ferociae. - Suet. Aug. 99: nostri; Galb. 4: sacrificii; Tit. 2: quorum; Vesp. 14: offensarum. - Justin. II 8, 1: belli; V 1, 7: odii; XLII 3, 4: originis. - Hieronym. ep. 55. - Augustin. civit. XXI 27. - Claudian. b. Gild. 129: Vestae; in Eutr. I 186: domini; II 126: imperii; II 543: ferri.

peritus[5]) Ennius ann. 400: belli. - Cato de morib. 6: dicendi; 8: arandi [Ritschel. opusc. IV p. 303]. - Cicer. Pomp. 68: bellorum; off. III 60: definiendi; Brut. 81: antiquitatis; 205: scriptorum; 145 et 212: iuris; Font. 15: rerum; 43: belli; Flacc. 84; Q. Rosc. 56; Planc. 62; Caecin. 14 et 68: iuris; Cluent. 107: iudiciorum; Balb. 30: moris; 45: bellici; Milo 70: publici iuris; Verr. II 31: officii; Piso 54: rei militaris. - Caes. b. G. I 21; III 21: rei; VII 83 et b. Afr. 50: locorum; b. c. I 17 et 48: regionum; 85 et III 61: rei militaris. - Nep. Them. 2; Epam. 3; Reg. 2: belli; Timoth. 1; Dat. 8: regionum. - Sall. hist. 104 D.: militiae. - Hor. sat. I 1, 9: iuris legumque. - Liv. I 34: prodigiorum; III 33: legum; IV 27; XXVII 6; XXXVII 20: belli; VIII 8: militiae; XXVII 48: pugnae; XXX 1: iuris pontificii. - Phaedr. I 25, 2: rerum; IV 5, 14: iuris. - Vitruv. I 1, 3: graphidos; III 3: earum; VI 9, 1: regionum; IX 7, 1: astrorum. - Valer. Max. I 5, 5: religionum; V 8, 3: sacrorum; VIII 7, 1: iuris civilis; 10, 1: artis; 2. - Senec. clem. I 16: domandi; ep. 66: fugiendorum. - Curt. III, 2, 10: belli; 12, 6: linguae; IV 10, 4: coeli; 13, 4: artium; V 3, 5: locorum; 4, 4; VII 5, 6: regionis; IX 8, 30: amnis; 9, 1: regionis; 10, 3: rei. - Colum. praef. I 4: gubernandi; XI 1, 6: corporis. - Juven. I 128. - Tacit. a. XI 29: regiae; h. II 8: citharae. - Plin. ep. I 22: iuris; II 11: lacrimarum. - Suet. Jul. 26: armorum; 57 et Tit. 3: equitandi; Tib. 21: rei militaris. - Quintil. I 1, 8: praecipiendi; 3, 1: docendi; II 4, 24: iuris; 8, 13: exercendi; 20, 8: honestorum ac turpium; VII 10, 6: dividendi; X 1, 95: linguae; XII 1, 1: dicendi; 3, 3 et 9: iuris; 5, 3: distinguendi; 10: loquendi; 11, 23: rerum.

---

5. cf. Lucil. II 41. - Varro r. r I 2, 10. - Cicer. Cluent. 107; Lael. 6; Balb. 2; Font. 33. - Caes. b. c. III 93; b. Afr. 31, 2. - Sall. hist. I ap. Prisc. VI 704. - Verg. ecl. 10, 32. - Prop. II 25, 82. - Vitr. I 1, 14; V 7, 7. - Vellei. II 29, 3. - Phaedr. III 3, 1. - Pers. II 34. - Tac. Agr. 8, 1. - Suet. Claud. 42. - Quintil. XI 1, 71. - Gell. IV 8, 2. - Justin. XXXI, 2, 3. - Spart. Hadr. 15, 10. - Paul. Dig. 33, 7, 19. - Aurel. Vict. ep. 19. - Eutr. VIII 17. - Auson. epigr. 137.

rusticarum. - Gell. IV 2, 13; X 20, 2; XI 18, 1: iuris; XX 1, 20: rei. - Justin. XLIV 2, 7: declinandorum periculorum. - Aurel. Vict. epit. 16: literarum. - Eutrop. IX 22; rei mititaris. - Claud. Eutr. II 341: aurigandi. - Auson. epigr. 49: artis. - Veget. r. m. II 10: omnium.

primus[6]) Ter. Eun. 248: qui esse primos se omnium rerum volunt. - Tacit. a. VI 4, 1: et tunc luendae poenae primus fuit.

§ II b. Adiectiva ignorantiae.

ignarus[1]) Plaut. Poen. III 3, 43: oppidi. - Terent. Adel. 160: morum; Eun. 135: omnium; Heaut. 226: artis; Hec. 675: lacrumarum; 682: animi. - Cicer. Cael. 1: consuetudinis; Marcell. 22; Flacc. 16; Phil. II 37 et III 4; Sest. 15 et 47: rerum; 16: scelerum; 41: veritatis; 119: causarum; Phil. II 7: vitae; VIII 2: verborum; XIV 13: virtutis; Verr. III 119: incommodi; IV 77: religionis; Cluent. 13: sui tanti mali; 77: negotii; Mil. 72: sensûs; Rabir. 28: disciplinae; Caecin. 32: litium; Balb. 47: iuris; Sext. Rosc. 98: casûs; har. resp. 48: furoris; acad. post. I 46: par tis; nat. deor. II 54: rationis; de or. I 63: orationis; 207: quorum; 40: legum; or. 119: physicorum. - Lucret. II 165: materiai; IV 434: maris. - Sall. Cat. 17, 7 et Jug. 36, 3: consili; 12, 5: loci; 19, 7: populi; 28, 5 et 96, 1: belli; 49, 4: hostium; 80, 1: nominis; 85, 10: omnium; hist. IV 61 D.: sceleris; incert. 94: visundi; 104, 2: rerum. - Verg. Geor. I 41: viae; Aen. I 198: malorum; 332: hominum; 630: mali; II 106: scelerum; 384: loci; III 569: viae; IV 508: futuri; V 284: operum; 618: nocendi; VIII 187: deorum; 627: vatum; 730: rerum; IX 287: pericli; X 247: modi; 666: rerum; [cf. ad IV 65 Wagnerum]. - Horat. c. II 1, 34: belli; ep. II 1, 114: navis; 132: mariti; sat. I 1, 35: futuri. - Livius VII 7, 4: virium; VIII 7: facti; IX 8: fortunarum; XXIV 48: rerum. - Ovid. met. II 156: fatorum; VIII 241; II 496: parentis; XI 573: malorum; XV 815: futuri. - Vitruv. I 1, 3: medicinae; 13: rationis plasticae. - Colum. VI 2, 11: rationis. - Valer. Max. II 10, 4: fatorum; IV 8 ext. 1: verecundiae. - Phaedr. VII 28, 2: pericli; VIII 10, 3: rei. - Plin. n. h. XI 36: alterius. - Silius II 68: viri; XVI 78: cladis. - Stat. sil. II 2, 149: curarum; IV 6, 91: culpae; Theb. III 358: locorum; VI 163: mei; IX 207: fatorum; XII 206. - Lucan. III 35: scelerum; 317: sortis; IV 232: fatorum. - Valer. Fl. I 69: Cereris; II 1: scelerum; III 290: furoris. - Curt. IV 5, 19; 6, 7; IX 9, 2: omnium; IV 12, 11: moris; V 11, 7 et IX 1, 5: sermonis; VIII 1, 3: insidiarum; IX 9, 6: naturae; X 1, 29: periculi. - Quintil. I 4, 4: philosophiae; II 3, 7: docendi; 20, 8: iustitiae; V 14, 29: literarum; VIII 2, 13: signi-

---

6. cf. Cicer. Rosc. Am. 15. - Hor. A. P. 84. - Silius I 160.
1. cf. Stat. Theb. III 67: moveri. - Tacit. h. I 67: de caede. - Claud. Eutr. II 430: reverti.

ficationum; Xl 3, 1: rerum; 3, 180: rationis; Xll 2, 20: doctrinae; 3, 4: moris. - Tacit. h. l 11: magistratuum; 49: amicorum; 70: Othonis; 88: militiae; lll 56; lV 50: Pisonis; ann. ll 23: casuum; 42: doli; 46: fraudis; Xll 10: foederis. - Justin. l 8, 6: rei militaris; Vll 3, 7; lX 7, 1: caedis; Xl 8, 6: infirmitatis; XXlV 6, 8. - Suet. Dom. 14: sortis; Aug. 98: rei; Cl. 16: sermonis. - Claud. b. Gild. 439: habenae; nupt. Honor. 4: amandi; cons. Mall. 227: causae; Eutr. ll 567: Martis. - Veget. r. mil. l 3: deliciarum.

ignotus Naevius trag. p. 123: ignoti iteris sumus, tute scis. [Wordsw. notes p. 577: ignotus=ignarus, so used by Cicero, Phaedrus and Nepos]. - Callistr. Dig. 49, 14, 2: ignotus iteris sui.

immemor [2]) Plaut. Stich. 48: viri. - Terent. Andr. 44: benefici. - Accius tr. 364: benefici. - Cicer. Brut. 174: rerum; off. ll 63; Sest. 122: beneficii; fin. V 64: utilitatum; Att. lV 6, 3 et V 16, 1: mandati; Sull. 83; Planc. 102: meritorum; Phil. ll 27: beneficiorum; 54: rei; lll 20: dignitaiis; Vl 18: patriae; Xl 8: humanitatis; 31: officii; Xll 2: decretorum. - Caes. b. Hisp. 42: commodorum. - Sall. Jug. 31, 28: malefici; hist. lll 67, 12 D.: patriae. - Verg. ecl. 8, 2: herbarum; Geor. lll 498: herbae; lV 440: artis; Aen. lV 194: regnorum; V 39: parentum; Vll 439: nostri; lX 256: meriti. - Horat. c. l 1, 26: coniugis; 15, 30: graminis; ll 18, 18: sepulcri. - Liv. ll 20: libertatis; 22: armorum; Vl 24: ferociae; lX 3: quietis; 31: difficultatum; XLl 4: praedae. - Ovid. met. Vll 761: ambagum; Vlll 535: decoris; 581: nostrì; X 171: sui; Xlll 445: mei. - Phaedr. Vll 16, 11: sortis. - Valer. Max. lll 2, 2: propositi; 7, 11: maiestatis; V 1 ext. 4: casuum; 3, 2: viri; lX 1, 4: Hannibalis; 3, 2: moderationis. - Senec. de ira l, 1: necessitudinum. - Curt. lll 5, 8 et lV 15, 24: sui; lll 11, 25: decoris; Vll 4, 38: meritorum; 9, 12: salutis; Vlll 11, 16: omnium; lX 5, 19: periculi; X 2, 12: disciplinae. - Lucan. lll 28: tui. - Valer. Fl. lll 27: irae; 375: famae; 654: sui. - Silius l 152; Vlll 664; X 13: aevi; XVII 67: dextrae. - Stat. Theb. II 107: armorum; V 501: alumni; VI 794: artis; lX 737: sui; X 402: ducis; 543: leti; Ach. I 311: aevi. - Quintil. Xl 2, 6: hesternorum. - Tacit. ann. XIV 36: praedae. - Justin. IX 3, 10: gloriae. - Claud. fescen. 34: patris.

imperitus [3]) Plaut. Stich. 104: morum. - Terent. Andr. 911: rerum. - Caecil. com. 260. - Cicer. Balb. 47: foederis; Verr. l 133; Sext. Rosc. 143; Caecin. 32: iuris; 70; Vatin. 8: laudis; de orat. III 44: dicendi; Her. IV 14: conviciorum. - Caes. b. G. I 44; V 27: rerum; IV 22: consuetudinis; 24: generis; Vl 39: usûs. - Nep. Epam. 7: belli. - Vitruv. I 1, 13: graphidos; VI 1, 6: disciplinae. -

2. cf. Plaut. Pseud. 1104: facere. - Valer. Fl. Vl 339: mori.
3. cf. Plaut. Mil. 919. - Sall. Jug. 49, 2. - Quintil. l 4, 27; Xll 3, 5. - Suet. Cal. 57.

Plin. n. h. XXIX 8: linguae. - Quintil. I 1, 11: dicendi; 10, 19: cuius; IX 3, 66: rerum.- Suet. Aug. 89: poematum.

imprudens [4]) Terent. Eun. 136: rerum. - Cicer. Sest. 16: scelerum; inv. II 95: legis. - Verg. Geor. II 372: laborum. - Livius XXXI 14: religionis; XXXIV 9: maris. - Colum. III 18: antiquitatis. - Quintil. I 1, 20: aetatum. - Silius VI 166: pestis.

